This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 07439558 7



Ruhinke
RIDG

EPISTOLAE

VIRI CLARISSIMI

DAVIDIS RUHNKENII

AD

DAN. WYTTENBACHIUM,

NUNC PRIMUM EX AUTOGRAPHIS

EDITAE

A

GUILIELMO LEONARDO MAHNE.

PUBLIC LIBRARY
ASTOR LIBRARY NEW YORK

VLISSINGAE
Ex Typographeo Max. Ant. Mahne.
1832.

In manibus habemus *fere octoginta epistolas Ruhnkenii ad nos scriptas*, inde ab initio notitiae nostrae, usque ad illius vitae exitum.

D. WYTTENBACH.

NEW YORK
PUBLIC
LIBRARY

BENEVOLO LECTORI

S.

Post editas Ruhnkenii et Valckenaerii Epistolas Mutuas *nihil aliud, quod urgerem, magis necessarium duxi, quam ut* Ruhnkenii ad Wyttenbachium Epistolae *quanto ocyus prelo subjicerentur ac publici juris fierent. Huic igitur in me recepto officio hujus libelli editione satisfacere studui. Verumtamen ne quis forte suspicetur, me non omnes epistolas, quas in manibus habuerim, typorum formulis excudi curasse, quum, factâ scilicet computatione, non* octoginta, *sed tantummodo* septuaginta et unam *hoc libello contineri videat; ratio autte omnia postulare videtur, ut istam suspicionem apud neminem exoriri, nedum in cujusquam animo radices agere sinam.*

Tenendum igitur est, B. L., inter illas fere octoginta *Ruhnkenii Epistolas, de quibus Wyttenbachius loquitur,* aliquot *schedulas esse, quae Epistolarum nomine appellari vix aut ne vix quidem mereantur. Tales autem illas puto, quae nihil aliud continent, nisi indiculos vitiorum typographicorum, quae Ruhnkenius in Bibl. Criticae speciminibus, a Wyttenbachio ad ipsum deinceps missis, offenderat, additâ*

solâ hac, vel huic simili formulâ dicendi, Plura non inveni, quae correctione indigerent. *Ista igitur sine ullo literarum detrimento omitti posse statui, praesertim quum Wyttenbachium iis jam usum fuisse mihi certis argumentis constaret.*

Quod denique ad illas reliquas septendecim *epistolas spectat, quarum in Praefat. ad Epist. Mut. pag. VIII mentionem feci, hae in subsequente* tertio *libello tecum communicabuntur. Nam ille libellus reliquas Ruhnkenii Epistolas* ad Diversos, *cum ineditas, tum quoque ab aliis jam editas, (quatenus hae scilicet a me, salvâ fide datâ, edi poterunt) quam diligentissime exhibebit, et propediem typothetis tradetur. Interim vero, B. L., valeas, et mihi meisque honestis studiis ac laboribus favere pergas.*

Scripsi Leidae
d. XIV. Jul. 1832. G. L. Mahne.

VIRO PRÆSTANTISSIMO,

DANIELI WYTTENBACH,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Ex literis tuis humanissimis intellexi, te, quamvis nullis officiis meis provocatum, tantum mihi honorum habuisse, ut libellum criticum nomini meo publice inscriberes. Qui tametsi nondum ad me perlatus est, grati tamen animi esse putavi, gratiarum actionem anticipare, et me tibi in perpetuum hoc beneficio devinctum confiteri. Equidem spero, futurum, ut hujus erga me studii fructum aliquem, si minus ante, certe cum in Bataviam veneris, feras. Tu modo, relictis omnibus, ad nos vola nobisque praesens ingenii tui elegantiam et suavitatem impertire. Neque te poenitebit Athenas Leidenses invisisse. Nihil dicam de me et Valckenaerio. Est hic bibliotheca antiquissimis membranis referta, ex quâ multa tum ad alios scriptores, tum ad Plutarchum ornandum praesidia petere licet. Plutarchi mentionem eo facio, quod ex literis tuis vidi, te novam editionem libri de Serâ Numinis Vindictâ parare. O! praeclarum et salutare consilium, quod te a Juliani oratione edendâ ad Plutarchum traduxit. Equidem ut Julianum, ceterosque illius aetatis Sophistas vehementer contemno, ita Plutarchum in sinu gesto, nec satiari illo legendo possum; quo-

cum si ante aliquot lustra eam, quam nunc, familiaritatem contractam habuissem, posthabitis omnibus, omnem meam aetatem, omnem, si qua est, eruditionem illi uni consecrassem. Egregia animadversio tua, nec a quoquam occupata, quod sciam, quâ Plutarcho vindicas illud apud Stobaeum fragmentum. Bene etiam suspicaris, ex libro de Animâ ductum esse. Nam in altero de Vindictâ locum habere non potuit propter ea, quae in eo libro p. 560 dicantur. Gratissimum vero literarum studiosis feceris, si Plutarchi fragmenta, e Stobaeo et aliunde collecta, libro de Vindictâ subjeceris.

Non dubito, quin te quoque in Fragm. p. 640 offenderit, quod vulgatur : καθαπερεί κάμπης etc. Mihi legendum videtur καθαπερεί κάπνης τινὸς ἀνείσης οἷον ἐξάττειν καὶ ἀναθεῖν etc. κάπνη est καπνοδόχη, quae fumum excipit et emittit. Vide Scholiast. Aristoph. ad Vesp. 143. et Interpp. ad Moerid. Attic. p. 292. ἐξάττειν etiam scripsit Gisb. Koenius ad Gregor. p. 75, cujus excellentis viri immaturâ morte Graecae literae magnum damnum fecerunt.

P. 605. ἀνάπαυλαν καὶ ἀνάπαυσιν τῆς ψυχῆς. Haec non synonyma sunt, sed plane eadem. Scripserat Plutarchus : ἀνάπ. κ. ἀνάπνευσιν τῆς ψυχῆς.

Ibid. ἓν γὰρ αἴτιον ὤφειλε τούτων ἁπάντων. In promptu est legere : ἓν γὰρ αἴτιον ὦ φίλε, τούτων ἁπάντων.

Sed de his et aliis multis aliquando coram, ut spero, confabulemur. Unum illud addo, tibi, Plutarchum emendaturo, duos imprimis scriptores non dicam legendos, sed prope ad verbum ediscendos esse, Euripidem et Platonem. Platonicae imitationis

aliquot vestigia ad Timaeum indicavi : sed multis partibus plura ad Platonis Scholiasten indicabo.

Epistolam tuam Criticam quam avide exspectem, vel me tacente, intelligis. Velim igitur me certiorem facias, cui illam ad me perferendam commendaris, ut locum, in quo haereat, indagare possim. Vale, Vir eruditissime, et a me omnia erga te officia et postula, et exspecta. Scr. Lugd. Bat. a. d. 17 Maji 1769.

PRAESTANTISSIMO JUVENI,

DAN. WYTTENBACH,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Eodem fere tempore, quo proximas literas tuas accepi, reddita mihi sunt Epistolae Criticae exemplaria, quae Graece doctis hominibus, quos Leida, Ultrajectum et Franequera habent, tuo nomine donavi. Lectus a me libellus tuus exspectationem, quam de eo Heynius noster fecerat, multum superavit. Nam, ut vere dicam, vix putabam in Germaniâ esse, qui tantum in hoc genere saperet, et tantam Graecae linguae scientiam cùm verâ Critices ratione conjungeret. Miror lumen ingenii tui, quod ex tot egregiis conjecturis elucet, sed multo magis miror rectum, in illâ praesertim aetate, judicium. Ex his non fallacibus signis auguror, te, si eumdem cursum tenueris, magnum aliquando literarum nostrarum decus et praesidium futurum. Tu solus ni-

mis demisse sentire videris de tuâ in his literis facultate. Verum scias, quod Quintilianus in simili re dicebat, eum in Graecis literis multum profecisse, cui Plato valde placeat. Julianum, ceterosque Sophistas contemno, si cum Platone, Xenophonte et Demosthene comparentur, neque in illis edendis studium collocari volo, dum tantum, quod agamus, in illis heroibus supersit. Caeteroquin ipse quoque Sophistas non vulgari diligentiâ et lego, et emendo, Dionem inprimis Chrysostomum, quem proxime ad Socraticorum praestantiam accessisse, Hemsterhusius judicabat : cujus studii vestigia multa in notis ad Scholiasten Platonis exstabunt. Ab edendo Juliano eo magis te dehortor, quod in tantâ copiâ exemplorum superioris editionis vix librarium, qui sumtus facere velit, inventurus videaris. Noli tamen putare, eruditissime Wyttenbachi, tibi in eo castigando omnem operam et oleum periisse. Nam illa omnia ad quemvis alium scriptorem, quem tibi ornandum sumseris, facile transferri possunt. Sed hac de re et de multis aliis brevi, ut spero, coram confabulemur. Nunc, ut intelligas, me libellum tuum accurate legisse, de conjecturis quibusdam tuis sententiam meam expromam.

Pag. 7. οὐδὲ αὐτοῦ παντελῶς ὄντος ὑπὸ τῆς ὕλης. Bene praefers Codicum scripturam εἴλης. Sed nullâ praeterea correctione opus est. χωρίον οὐκ ἐστι παντελῶς ὑπὸ τῆς εἴλης significat, *locus non omni ex parte solis radiis patet.* Qui commodissimus sensus est.

Pulcherrima sunt omnia, quae ex perenni elegantiarum fonte, Platone, duxisti. Hunc ex Menexeno

locum multi expresserunt. Vid. Gataker ad Antonin. II, 11. Eumdem bis vertit Cicero ad Div. V, 13, et Tusc. Disp. V, 12, ubi Davisius non praetermisit locum Juliani.

Pag. 9. Venustissimae sunt, et ingenio tuo dignae emendationes, quas haec pagina habet. Vellem abessent verba, *qui Juliano praeluxit.*

Pag. 12. θῆλυν ἐνδῦναι στολήν. Poteras etiam laudare Suidam, v. Ἀρίστιππος.

Pag. 13. ἅτε in ἔστω mutari non placet. Credo aliquid deësse.

Egregie disputas de verborum παιδεία et παιδία permutatione, et facile accedo sententiae tuae. Euripidis locus est Herc. Fur. 673.

Pag. 15. ὅλον δι'ὅλου. Iisdem Philonis locis in hac formulâ explicanda usus est Abreschius ad Aristaenetum pag. 317.

Ib. Pulchre reponis ἐπιδράξασθαι. Sed quod scribis Platonis locum latuisse Tollium, recte ille praetermisit, quod parum ad rem pertinebat. Nam Longinus non ad Platonem respexit, sed ad Pythagoram ap. Aelianum V. H. XII, 59. Longini vero mutilum locum sic restituo: — συνεπικρινεῖς ἀληθέστατα καὶ φιλοφρονέστατα. Εὖ γὰρ δὴ etc. Sic εὐεργέσια respondet voci φιλοφρονέστατα, ἀλήθεια voci ἀληθέστατα. Hoc pluribus confirmamus in Notis ad Longinum, quae editioni, quam Cl. Toupius in Angliâ parat, adjungentur.

Pag. 17. γὰρ ex seq. παρὰ est ortum. Rectissime. Simile mendum sustuli e Longino p. 80, ed. Tollii φρονεῖ, πτοεῖται, ἢ παρ'ὀλίγον τέθνηκεν. Nam ἢ γὰρ na-

tum est ex ἢ παρ'. — πτοεῖται, quod mihi placet pro φοβεῖται, respicit verba Sapphonis: καρδίαν ἐν στήθεσιν ἐπτόασεν. Scio tamen, φοβεῖται ex Aristaeneto defendi posse.

Pag. 18. Capitali emendatione supples locum mutilum Juliani, Valckenario etiam sagacitati tuae applaudente.

Pag. 19. Pone, Wyttenbachi amicissime, αὐτοφωνίᾳ scriptum fuisse. Quem tandem sensum ille titulus habebit? Nam quod laudas χρησμὸν αὐτόφωνον, id prorsus alienum est. Legendum videtur: ἐν τῇ τοῦ Κυνὸς αὐτοφορίᾳ, ἢ τῷ κατὰ τῶν χρηστηρίων. Idem liber, ut Fabricius in Bibl. Gr. docet, etiam inscriptus fuit φωρὰ γοήτων. Jam synonyma sunt φωρὰ et αὐτοφωρία.

Pag. 21. Σοὶ δὲ ἀρετῆς etc. Huic loco quasi vitam e Demosthene reddidisti. Fateor, me ejusmodi observationibus prope magis, quam ingeniosissimis conjecturis, delectari. Vide tamen, an πράως melius jungatur cum ἀνάσχου, quam cum λεγόμενον.

Pag. 24. Malim: ὡς γλαύκωνα ἐκεῖνον. Sed quid est σφόδρα ἔχειν?

Ibid. Propius ad σύμπαντα accedit σήματα, ut Aeschylus l. c. σῆμα δ' οὐκ ἐπῆν κύκλῳ.

Pag. 26. Miror, te in Polluce, cujus facilis et perspicuus sensus est, haerere. VI, 122. κόλαξ est γελοῖος, *qui ridicula jacit*, καταγέλαστος, *qui propter ineptias suas ridetur*. VI, 201. Agit de verbis, quae significant risum, quatenus ore et oculis ostenditur; addit deinde ἑτέρας χρείας esse verba γελοῖος, γελοίαζειν etc. Nimirum haec non *ridendi* notionem habent, sed *deridendi* et *contemnendi*.

Pag. 27. ἀσμένοις ὑμῖν. Sic Latini, *nobis volentibus.* Hanc loquendi formam multi illustrarunt, tanquam P. Leopardus Emend. IV, 23, Buchnerus de Comm. Rat. Dic. pag. 327, et Marklandus ad Max. Tyr. Diss. XIII, pag. 676.

Ib. αὐγὴν κρυπτούσης. Nec vulgatum concoquo, nec valde placet ἀστραπτούσης. Aliud latere puto, quod nunc quaerere non vacat.

Pag. 30. Nihil exquisitius his emendationibus, quas ipse quoque videram. Sed βεβηκέναι non poëtae tantum, verum etiam prosae orationis scriptores dicunt de rebus, quae firme consistunt. Vid. Hemsterhus. ad Lucianum Tom. I. pag. 278, et Interpretes ad Herodotum VII, pag. 581,

Pag. 33. ἔλπις κουρότροφος in Synesio non debet sollicitari. Nam alii quoque sic Pindari versum laudant : tanquam Chrijsostomus Tom. VI, pag. 183. Vid. Spanhem. ad Callimach. H. in Del. 2. Credo, antiquissimam esse hanc διττογραφίαν.

Pag. 34. εἶναι τὴν φωνήν. Nihil vitii in hoc loco. Sed ubi legisti εἶναι pro ἰέναι? Nondum videris legisse, quae notat D'Orvillius ad Charit. pag. 467.

Ib. Verissime corrigis, πῶς δὲ οὐκ ἰδόντες. Sed in vicinis te ratio fefellit. Quid enim? Non uterque nostrûm est amicus Platonis, licet ante bis mille annos vixerit, licet oculis nostris non sit usurpatus? Deinde minus accurate mentem tuam significasti. Nam, admissâ etiam correctione tuâ, de *temporis* intervallo agitur, non de *loci.*

Pag. 36. Acute, et, ut mihi videtur, vere emendas : πορευόμενον, οὐκ ἐπ' ἄλλο τι βαστάζοντα etc. Sed

vellem eâdem operâ correxisses: τὰ ἱερεῖά τε καὶ θυσίας. Certe non memini ὅσια tali sensu legere.

Pag. 37. De Ἑρμῇ λογίῳ eadem notavit criticus primarius, Jo. Toupius, Emendat. in Suid. T. I, p. 235.

In Eunapio castigando a te consulendus erat D'Orvillius ad Charitonem, qui complura loca, a te tentata, vel supplevit e Codicibus, vel meliora fecit. Deinde quid est, quare emendationes tuas potius Reiskiano more projeceris, quam copiose et diserte explicaris? Reiskius quidem instituto suo id consecutus est, ut a nemine legatur.

Pag. 40. παρέπτυσε nec in Philostrato legi, nec Graecum esse puto.

Pag. 41. βίβαπται. Lego κίκαπται. Hoc tibi, mi Wyttenbachi, excidisse nollem. Vulgata nihil venustius. Notum est dictum Aristotelis, quod Plutarchus aliquoties laudat, τὸν κάλαμον ἐς τὸν νοῦν βάπτειν.

Ib. ἤνωχουν. Hunc locum restituit D'Orvillius ad Charit. pag. 717.

Ib. θατέρᾳ λαπτὸν verissimum est, quod, vereor, ne occuparint alii. Nam ex quo Kuhnius in Ind. Aeliani v. Ἕτερος hanc locutionem exquisitâ eruditione illustravit, certatim alia aliis locis eam restituerunt. Vide Kusterum ad Suid. v. Ἐκκείμεθα.

Pag. 42. χηρώσας correxit etiam Wesseling. Diss. Herod. pag. 86 et ad Herodot. VI, pag. 475.

Ib. Scribere voluisti συνειλεχώς. Certe sic scribendum. Et hoc ipsum verbum, et Demosthenis locum, quem laudas, erudite illustrat Toupius Emend. ad Suid. Tom. III, pag. 104.

Pag. 43. ἐχωρηθέντες. Hunc locum supplet D'Orvill. ad Charit. pag. 657.

Ib. ἔτι pro quo ἄρτι scribis, mihi e sequentibus irrepsisse videtur.

Ib. ὥσπερ ἔπεσθαι. supplet D'Orvill. ad Charit. pag. 658.

Ib. μάγων, D'Orvill. ad Charit. pag. 685.

Pag. 44. περὶ τὴν τοῦ βασιλέως στοὰν ἐκινδύνευον. Mirum est, te non reposuisse illud ipsum verbum, quod hac paginâ illustras, ἐκαλινδοῦντο. Sic legit et totum locum egregie sanat Arnaldus Variar. Conject. I, 30 pag. 207.

Pag. 45. μαγείας in Luciano praecepit Valckenar. Anim. in Ammon. pag. 223.

Ib. ὡς μὴ θέμις. φ᾽ legit etiam Valesius Emendat. III, 15.

Ib. πήχεσιν αὐξόμενος. De hac loquendi formulâ vide Leichium in Diatrib. in Photium pag. 17.

Pag. 46. λόγων βάρος mutare noli. Vid. Dionys. Halicarn. de Structurâ Or. pag. 26, de Censurâ Vett. Script. pag. 70.

Pag. 47. σοῦ παρόντος ἕτερον. Vid. D'Orvill. ad Charit. pag. 529.

Ib. Utrumque dici, ἵππον et ἱππέα προκαλεῖσθαι, ad Platonis Scholiasten ostendam.

Ib. φαρμάκου κρίσις. V. D'Orvill. ad Charit. p. 721.

Pag. 49. κοπίδας νύμφας. In Auctario Emendation. ad Hesych. v. καλοποὺς scripsi καλυκώπιδας νύμφας.

Ib. ἐπισχερὼ commodum sensum efficit, sed poëticum est. Nisi forte dicas, καλυκώπιδας etiam vocem esse, poëtis propriam.

Pag. 50. Quid est, quare Aristaenetum et Dionem non corrigas ad normam Platonis? Nam ὑφίει nihili est. De formâ ἠφίει vide Hemsterhus. ad Thom. M. pag. 428.

Ib. πρᾳότητα μὲν πορίζων etc. Hac Aristaeneti et Dionis emendatione nihil fingi potest praeclarius. Tanti est, Platonem studiose legisse.

Pag. 51. οὐ δύναμαι etc. In hoc loco redintegrando requiro felicitatem ingenii tui. Verum unus vidit Koenius ad Gregor. de Dialect. p. 57. οὐ δύναμαι γὰρ οὐδὲ γῆ, οὐδὲ οὐρανῷ τοὐμὸν ἀφηγήσασθαι πάθος. ex Euripid. Medeâ 57. Felicior fuisti paginâ sequenti, ubi tibi gratulor de duplici consensu magni Hemsterhusii. Nam is non modo legebat, τοῦ βούλεσθαι μισεῖν etc., ut ad Rutilium Lupum indicavi, sed etiam ex Aeschine restituebat τεθνηκὸς ἀθυμίᾳ. Aeschinem imitatur Dio Cassius XLVI, p. 455. φθεγξάμενος ταπεινόν τι καὶ τεθνηκός. Libanii Declamat. XXXVII, p. 810. ὡς ἀσθενὴς φθέγγομαι καὶ ἀπολωλός.

Pag. 53. δοκᾷν εἶε non expedio. Sed pro φθέγγεσθαι scribendum esse φλέγεσθαι, in notis ad Longinum demonstrabo.

Pag. 54. Synesio nihil debere videtur Aristaenetus. Et est illa formula satis frequens apud alios. Mox ἔρωτα ab ipso Aristaeneto adjectum puto, ne intelligeretur *Jupiter*, qui semper apud Platonem in φίλιος intelligitur: quâ de re nonnulla notabo ad Platonis Scholiasten.

Ib. εἰ πάνυ πολλοῦ ipse quoque correxeram e Platonis Apolog. Socr. p. 362 F.

Etsi Aristaenetum cum Platone ita comparasti,

nihil ut fieri possit accuratius, pauca tamen, ut fit, industriam tuam fugerunt, v. c. I, 4. χαριούμεθα δὲ, ὅσον αὐτὴ ἂν ἐθέλοις. ἐθελήσεις δὲ οἶδ' ὅτι τὰ μέτρια. E Platonis Ep. VII, p. 718. B. I, 21. τὸ πάλαι σπουδαζόμενον ἐξαίφνης ἀπέῤῥιπται, καὶ περιπτυόμενον ἀμελεῖται. colorem duxit e Platone de Republ. VIII, p. 494 E, qui locus multorum imitatione celebratus est. Vid. Davis. ad Ciceronem Tusc. Disp. I, 2. II, 18. ἀπέλιπον αὐτόν ἐν πενίᾳ δή που μυρίᾳ. ex Platonis Apolog. Socr. pag. 361 C.

Pag. 55. λιπαρεῖ πυρετῷ pro *febri continuâ* recte dici puto. Nam λιπαρὴς etiam in deteriorem partem accipitur, ut λιπαρῶς ἐγκεῖσθαι apud Josephum Antiq. VI, m. p. 317 et alios.

Ib. ἐν βιβλίοις idoneum sensum habet, ἐν βεβήλοις omnino nullum. ξένος dicitur hospes *in civitate*. At Lucianus scriptorem vult hospitem esse *in libris* suis. Pronior tamen sim in hanc partem, ut illa verba a Grammatico quodam interpretandi caussâ adscripta putem.

Ib. De Platonis λόγῳ ποτίμῳ egregie disputas, ut omnia. Equidem tot veterum loca, quae huc alludant, in adversaria congessi, ut inde Dissertatio nasci posset. Adscribam locum unum Minucii Felicis cap. 16, qui unde ductus sit, nemo ex tot interpretibus vidit: *annitendum tibi mecum est, ut conviciorum amarissimam labem verborum veracium flumine diluamus.* Dubito vero, an Plato illum Euripidis locum ob oculos habuerit.

Pag. 59. Elegans conjectura est ἀκταίνονται. Sed semper active dicitur, ἀκταίνειν. Mediam formam

frustra quaero. Exhibuit mihi hoc verbum in Platonis Legibus, ubi prorsus obliteratum erat, Scholiastes MS. Equidem olim in Libanio correxeram : ἂν ὑπὸ τῆς εὐφυΐας ἐντείνονται. neque nunc poenitet conjecturae.

Ib. Alciphronis emendatio occupata est in Observat. Miscell. V, pag. 295.

Pag. 61. In Philostrato malim : πρόσωπον ἐπὶ τὰ στέρνα ἐρείσας.

Pag. 62. Omnino legendum : εἰ δὲ βούλει καὶ λίκνον αὐτοῦ κατιδεῖν. quod quae sequuntur confirmant. Aratus Phaenom. 268. τὴν δ' ἄρ' ἔτι καὶ παρὰ λίκνῳ Ἑρμείας ἐτόρησε. Homeridas H. in Mercur. 254. Ὦ παῖ, ὃς ἐν λίκνῳ καταχείεαι, μήνυέ μοι βοῦς.

Ib. Lenior Medicina mea est : καὶ τῷ τῆς σίδης ἀνθερεθαίνεται. σίδη est *malum Punicum*. Vid. Foësii Oeconom. Hippocr. Poëtae σίβδη dicunt, ut Callimach. H. in L. P. 28. οἵαν Ἥ ῥόδον ἢ σίβδας κόκκος ἔχει χροΐαν. ubi vid. Spanhem.

Ib. καιρία μὲν οὐκ ἐντυχόντων. Codex Regius, quem Parisiis contuli, sic exhibet : καιρία μὲν οὐκ ἐντυχών. quae verissima scriptura est, modo καιρία mutetur in καιρίᾳ, scilicet πληγῇ.

Ib. παραπτύοντα me nihil offendit.

Pag. 63. ὅπου ἠγεῖτας ὁ κρίος. Palmaria emendatio, quae quantum ingenio valeas, ostendit.

Ib. κεχωρικότος etc. Hic operae aliquid turbarunt. Nam sine dubio scribere voluisti : κεχρωκότος αὐτὸν τοῦ ἡλίου ἐς βάθος. Poteras etiam laudare Platonem Ep. VII, pag. 218 F. et Kuhnium Ind. Aeliani voce ὄψις.

Hæc habui, quæ ad elegantissimas emendationes tuas notarem. Restant quidem nonnulla, de quibus te monere vellem. Sed, cum nunc tempore excludar, melius fuerit, illa ad adventum tuum, quem mirifice exspecto, differre. Quod si, ut opinor, constitueris, a Valckenaerio Analogiam Gr. L. Hemsterhusianam, a me linguæ Latinæ proprietatem cognoscere, veniendum est sub initium mensis Septembris, quo Leidæ novas lectiones auspicamur. Quamquam tu, eruditissime Wyttenbachi, rectius tempus collocabis in antiquis Codd. excutiendis, maxime Plutarchi, cujus pervetustum Codicem, in quo est libellus *De Serâ Vindictâ*, Bibliotheca publica habet. Ubi annum nobiscum exegeris, auctor tibi sim, ut locupletissimas illas Bibliothecas Parisinas (nec longum Leidâ iter est) perlustres. In iis quales thesauri lateant, tibi coram exponam. Forte his diebus incidi in Catalogum Bibliothecæ Augustanæ, miratusque sum, tantum ibi superesse Codicum Græcorum, etiam ineditorum. Profecto Germani nesciunt uti bonis suis. Velim me certiorem facias, Bibliothecariusne, an alius Augustæ Vindelicorum Græce tam doctus sit, ut ejus operâ vel in conferendo, vel in describendo uti possim. Frustra adhuc quæsivi Hoeschelii Catalogum Bibliothecæ Bavaricæ, vel Monacensis, in quâ vis Græcorum MSStorum esse dicitur. Tuum est, mi Wyttenbachi, hæc spolia barbaris Monachis detrahere, iisque literas nostras locupletare.

Metri non melior magister est Hephæstione, quocum conjungas Mallii Theodori libellum nuper ab

Heusingero editum. Sed in hoc studio lente progre diendum, v. c. ut hexametris et pentametris bene cognitis, Jambica, Jambicis cognitis, Trochaïca cognoscantur, ne varia metra temere confundamus.

Ad Heusingerum privatim multas epistolas scripsi, publice nullam. Sed pars epistolæ cujusdam meæ, me invito, vulgata est in Bibl. Bremensi. Valckenarius noster te salutat, tibique pro eleganti munere maximas gratias agit.

Vale, juvenis amicissime, et brevi ad nos, fac, venias. Ego, quantum potero, efficiam, ne te pœniteat, mei tam studiosum esse. Dab. Leidæ a. d. 2 Julii 1769.

WYTTENBACHIO SUO.

S. P. D.

D. RUHNKENIUS.

Ex literis tuis vidi, idem tibi usu venire, quod mihi adolescenti. Nam me quoque parentes Theologiæ destinabant, et, quibus poterant modis, ab elegantiorum literarum studio revocabant. Ego vero, naturam ducem secutus, iis invitis, in Belgium abii, ut me in Hemsterhusii disciplinam darem. Eventus postea docuit, me, quamvis adolescentem, plus vidisse parentibus meis, idque ipsi, cum me cathedræ Leidensi impositum viderent, magno cum gaudio fatebantur. Equidem cum non dubitem, quin pater tuus, vir doctissimus, et, quod te talem procreavit, felicissimus, aliquando simile gaudendi argumentum

habiturus sit, maximo te opere moneo et hortor, ut præclarum illud bonarum literarum studium, posthabito Theologico, a quo te alienum esse scribis, persequaris. Præmia virtuti tuæ ne desint, ego et Valckenaerius curabimus. Sed unum adhuc annum necesse est paternâ liberalitate Leidæ sustenteris, tum ut interea linguam et mores Belgarum cognoscas, tum ut aliquam ex lectionibus nostris utilitatem capias. Quo anno præterlapso, suffragatione nostrâ vel luculentum aliquem scholæ Rectoratum, vel certe illustris juvenis præfecturam obtinebis, ut sic tibi facultas sit ad summa quæque deinceps enitendi. Atque hæc omnia velut ex syngraphâ a me petere poteris. Sed non differendus adventus tuus. Nam ego et Valckenaerius medio Septembri lectiones nostras auspicamur. Tu, mi optime Wyttenbachi, vale, et ad nos, fac, voles. Hæc festinanter scripsi, tempore e summis occupationibus erepto. Leidæ, a. d. 5 Sept. 1769.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Nihil mihi poterat obtingere exoptatius, quam quod ultro polliceris, te, dum ego quaero, quod e re tuâ sit, libenter aliquem laborem meâ caussâ subire velle. Nam opus mihi est viro Graece doctissimo, qualis tu es, ad id quod institui, perficiendum.

Equidem omnes fere Europae bibliothecas, quae ab antiquarum membranarum copiâ commendantur, vel ipse, vel per alios excussi, ut antiqua et quantivis pretii Scholia in Platonem e tenebris eruerem. Ac fortuna votis ita respondit, ut integrum Scholiastem in omnes Platonis libros habeam, exceptis *Critia*, *Timaeo*, et libris *de Republicâ*, in quos vix unum alterumve scholion tot codices suppeditarunt. Hanc vero lacunam, ut auguror, explere licebit ex Bibliothecâ Augustanâ, in cujus Catalogo, quem Reiserus edidit, p. 88, memorantur *Scholia succincta in Platonis Euthyphonem*, *Apologiam*, *Critonem*, etc. Petieram ante duos circiter menses a Cl. Bruckero, ut me certiorem faceret, an Scholia, quibus me carere dixi, illo Codice continerentur. Sed ejus responsum ad hunc usque diem frustra exspecto. Nunc tu, Vir praestantissime, literis quam potest fieri humanissime scriptis Cl. Bruckero significabis, te, si codicem Marpurgum mittere velit, omni ipsum molestiâ levaturum. Quodsi Scholia, quae dixi, in eo codice reperiantur, nihil est, quod ultra quaeramus : sin minus, statim rogabimus Oefelium, ut Codicem Platonis, scholiis instructum, e Monacensi Bibliothecâ ad te mittat. In Augustanâ Bibliothecâ etiam sunt *Stobaei Physica*, quae etsi in Catal. pag. 83 simpliciter tantum memorantur, tamen aliunde scio, multis partibus locupletiora esse iis, quae Canteri beneficio habemus. His describendis magnam apud Valckenaerium gratiam inire posses. In Bernensi Bibliothecâ multi sunt et pervetusti Codices Latini, Graeci perpauci. Tibi auctor

sim, ut describas *Leonis Tactica*, ab editis prorsus diversa, quae Sinnerus p. 600 recenset. Nam, quantum ex brevi specimine judicare possum, proderit ille liber antiquis Historicis emendandis. Basiliensis quid boni habeat, nescio. Tu, mi suavissime Wyttenbachi, meâ caussâ Platonis codices lustrabis, et, si quid Scholiorum in margine exaratum sit, describes.

Variantes Aeliani e MS. Augustano sunt penes Oudendorpium filium, qui, quâ est humanitate, facile tibi illarum copiam faciet. Plutarchi codices eximios Leidae reperies. Sed immensam e MSStis materiam in Plutarchum, suscepto ejus edendi consilio, congessit Emericus Bigotius; qui thesaurus una cum ejus Lexico Plutarcheo servatur in Bibliothecâ Regiâ Parisiensi.

Est, ut scribis, aureus Plutarchi liber de Numinis Vindictâ. Veruntamen *Amatorius* latiorem tibi campum, in quo critica facultas excurrere, cognoscique posset, praebuisset. Sed hoc, re integrâ, monendum erat. Mori Longinum cupide exspecto. In Hindenburgii Xenophonteis plus est Grammaticae ἀκριβείας, quam ingenii et exquisitae doctrinae. Herelio nuper scripseram, Valckenaerium nihildum certi de Sophocle edendo constituisse, sed modo in hoc, modo in illo scriptore castigando versari, nunc quidem in Xenophonte. Is statim novellis suis sparsit, Valckenaerium Xenophontis editionem parare : id quod moleste fert amicus noster. De Herelio animus non mediocrem spem concipit, dummodo Klotzium mirari desinat. Nam nunquam magnus futurus est, cui magnus est Klotzius.

Criticus quidam inter nostrates Epistolam tuam Criticam vehementer probat, sed idem judicat, te non satis presse observasse vestigia literarum. Ipse in Luciani Ver. Hist. I, 1. legit λειπυρίᾳ τῷ πυρετῷ. et in Philostrato p. 889 ξυγγεγηρακότι διὰ τὴν νόσον τῷ προσώπῳ. De priore conjecturâ dubito : posteriore nihil venustius. Sed de his aliisque multis rebus non ita multo post coram confabulemur. Sunt hic juvenes duo ingeniosi et pereruditi, Koppiersius et Enschedius, qui miro tui videndi desiderio tenentur. Alter ex his, cum in re lauta sit, meum consilium secutus, omnes Europae Bibliothecas, ipsam etiam Scorialensem, lustrare constituit.

In patris tui literis, prudentissime scriptis, nihil, quod me offenderet, reperi. Tu virum egregium meis verbis salutabis. Salutem tibi impertit Valckenaerius, proxime literis tuis humanissimis responsurus. Vale, mi optime Wyttenbachi, et brevi, quid Codice Augustano contineatur, ad me perscribe. A me, simulatque certi quid de re tuâ cognovero, literas habebis. Dabam Leidae, a. d. 30 Octobr. 1769.

VIRO PRAESTANTISSIMO,

DAN. WYTTENBACHIO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Aliae ex aliis occupationes, praesertim domesticae, quarum caussâ prope integrum mensem ab urbe abfui, omnem mihi ad te scribendi facultatem eri-

puerunt. Cum tandem his molestiis me ita relaxassem, ut respondere liceret, ecce, opprimor alteris literis tuis, in quibus frustra vereris, ne animus a te meus factus sit alienior. Nam neque tuâ culpâ Augustanum negotium ad irritum cecidit, neque ego is sum, qui amicitias utilitate metiar. Sed miror lepidos illos Augustanos, qui, cum ante parati essent Codicem suum in ipsam Bataviam mittere, nunc metuere incipiant, ne in viciniam missus pereat. Interim aliis literis Cl. Bruckerum iterum rogandum putavi, ut interpositâ mercatoris fide, Codicem vel ad te, vel ad Cl. Reiskium mittat. Stobaei ne mentionem quidem feci, ne nova nobis difficultas objiciatur. Et est ejusdem Codicis collatio, si recte narrant amici, in Bibliothecâ Wolfianâ, quae nuper Hamburgensi accessit: unde, cum opus fuerit, Valckenaerius noster sumet.

Quod quaeris, vir amicissime, quo tempore tibi Leidam veniendum sit, venies demum sub initium Septembris, si meas et Valckenaerii lectiones frequentare velis. Nam lectionum ratio in hac Academiâ descripta est sic, ut inchoentur medio Septembri, finem habeant medio Junio. Tres menses aestivi recreando animo, vel itineri in vicinam Angliam Galliamve faciendo dantur. Quam consuetudinem, Professoribus percommodam, qui non adsueti sint moribus nostris, magnopere mirantur. Annona apud nos non multo carior est, quam Lipsiae, aut Gottingae. Octingenti floreni Hollandici, vel 140 Ducati aurei in sumtus annuos suffecerint. Spero, me et Valckenaerium effecturum, ne patrem

optimum, quem meis verbis salutabis, suae erga te liberalitatis poeniteat.

Longinus quando proditurus sit, nescio. Tota res in Toupii manu est. Is nuper edidit Theocritum, mox notas adjecturus splendidae Polybii editioni, quam alii instituerunt, non absolverunt Oxonii.

Προτέλεια MSS. in Platonem Reiskii humanitate ad me pervenerunt. Carbones pro thesauro, ut in proverbio est. Nam pleraque ad verbum descripta sunt e Diogene Laërtio.

Velim, meâ caussâ legas Xenophontis Ἀπομνημονεύματα, notatis singulis locis, ubi vitium subodoreris. Equidem in eo sum, ut notas meas, quas jam ante triennium ad Ernestum miseram, majore curâ retractem.

In Latinis literis quantum proficias, vel literae tuae ostendunt, quibus nego quicquam elegantius et Latinum magis scribi posse.

In Catalogo Bibliothecae Marpurgi a. d. 2 Julii distrahendae p. 5. hic liber affertur. *Boccatii Genealogiae Deorum.* Vincentiae 1487. Item Ciceronis Rhetorica 1476. Quem librum, nisi grave est, mihi Ducato aureo parabis.

Sunt alia multa, quibus tecum colloqui vellem. Sed pluribus tecum agere, per molestos interpellatores non licet. Vale, vir egregie, tibique persuadeas amicitiam nostram, quam virtus et doctrina conciliavit, perpetuam futuram. Scripsi Leidae a. d. 26 Maji 1770.

Meis ad Bruckerum literis tuas adjunges, officiosissime scriptas. Nam in Bruckero nobis sunt omnia.

CLARISSIMO DOCTISSIMOQUE VIRO

DAN. WYTTENBACHIO,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Ita mihi, quae opto, contingere velim, ut, cum in mentem venit consilii, quo te primus Remonstrantibus commendavi, mihimet ipse placeo, et fructum hujus rei uberrimum capio. Tu enim in honestissimi otii portum delatus, nihil eorum, quibus literati hominis felicitas censetur, requiris, et qui te juventuti erudiendae praefecerunt, non solum tanto doctore gloriantur, sed sibi jam sollicitudinem, quanquam vanam et inanem, ut spero, sed sollicitudinem struunt, ne quando, famâ latius vagante, desinas esse suus. Plutarchus tuus quantâ cum ingenii et doctrinae admiratione ab omnibus, qui recte judicare possunt, exceptus sit, non dubito, quin multis multorum literis cognoveris. Donaram exemplum intelligentissimo harum literarum existimatori, Claudio Salgasio, quem prope solum e genere literato, amicum dicere possum verum, et nullis simulationis involucris tectum. Is statim me jussit quatuor alia exemplaria Londinum mittere, ut Anglorum cupiditati satisfieret. Qui librum tuum ita probarunt, ut si tu in Plutarchi edendi consilio persisteres, fidem suam Salgasio adstringerent ad copias Anglicarum Bibliothecarum submittendas.

Eldikius quoque super libro tuo literas ad me scripsit : quibus lectis, vidi evenisse, quod tibi, interdum minus consiliis meis, quam volebam, obsequenti, praedicebam eventurum. Nam illos ipsos locos, quos ego, velut perperam tentatos, notaram, sibi tractandos sumsit, correxitque mirâ ingenii felicitate. Quibus bonâ cum veniâ tuâ caput dabit in Suspicionum libris.

Civem tuum, mi Wyttenbachi, si Ultrajecti reliquisses, haud scio, an ejus rationibus melius consuluisses. Certe ex Leidensi disciplinâ non multum proficiet ingenium tam tardum et tot praejudicatis opinionibus imbutum. Quaerenti mihi, an Latine sciret, tantum se scire, quantum Theologo satis esset, respondit. Venit tamen bis terve, ut me Latinos scriptores interpretantem audiret. Sed cum ei Latinitatem nimis subtiliter explicare viderer, retulit pedem, et se ad Theologicae Latinitatis sordes redegit.

Boschium meo nomine salutes, excitesque ad aliquod ingenii monimentum condendum. Temminckium Graece scire, aut omnino esse, nesciebam. Quem si amas, ab Erotico scriptore traduces ad Andocidem, Antiphontem, Isocratem, aut similem, Atticum scriptorem. Habemus pulcherrimam Historiae Graecae seriem, Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, Diodorum Siculum, Plutarchum. E quibus cum tu Plutarchum ornes, alios ornarint alii, sumat ille sibi, si operae pretium facere velit, Xenophontis Ἑλληνικὰ expolienda.

Wagneri tui libellum vidi, sed statim abjeci, tum

quod jejunus et puerilis est, tum quod plenus foedâ et pudendâ adversus Klotzium adulatione. O! stultum juvenem, cujus, in ipsis famae auspiciis, nihil refert, dummodo uni indocto nebuloni placeat, quicquid est eruditorum et honestorum hominum offendere.

Musgravius noster Euripidem suum Academiae Oxoniensi excudendum dedit, ferens praemium inusitatum, certe apud Batavos et Germanos, sex mille florenorum.

Uxor mea post diram, quâ infestatam scis, apoplexiam hactenus quidem convaluit, ut surgere de lecto, et in cubiculo ambulare possit, sed memoriam et linguae usum nondum recuperavit. Filiolae, unicum in tot malis solatium, recte valent. Ama me, optime Wyttenbachi, et vale. Dab. Leidae a. d. 4 Februar. 1772.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Ex Santenio, feliciter reduce, te duplice tertianâ tentari, cognovi. Quae res, tam adversa rationibus tuis, mihi non mediocrem molestiam offerebat. Sed tamen sollicitudinem minuebat, quod ex eodem intellexi, te sive casu, sive aliorum consiliis Medicum adhibuisse Lorrium, quo, ut nostri Aesculapii judicant, Parisini non habent Medicum peritiorem.

Ejus igitur arte te febri jam liberatum, aut certe levatum esse spero. Apud Meerschium et Valckium caussam tuam egi : etsi apud eos, qui omnia tuâ caussâ volunt, me non opus erat patrono. De Variantibus Bigotianis nihil plus scio, quam tibi praesenti narravi. Joannes Albertus in fronte Hesychii epistolam Sallierii et Sevini edidit, quâ sic explicatur Plutarchi edendi consilium : « Plurima jam ad» jumenta suppetunt nobis, nempe comparavimus » Plutarchum, qui fuit quondam doctissimi viri, » Emerici Bigotii, estque notis ipsius manu locu» pletatus. Gasparis Bacheti Meziriaci animadver» siones in manus nostras secunda fortuna detulit, » et certo speramus brevi fruituros nos viri supra » laudem, Isaaci Casauboni, notis in eundem scrip» torem. Exspectamus ab Italiâ collationem manu» scriptorum, etc. » Ego, cum Parisiis essem, has Bigotianas variantes, aliis rebus intentus, quaerere supersedi. Nec, an a Sallierio in Bibliothecâ Regiâ depositae sint, scio. Sed idem pulchre memini, mihi sive a Sallierio, sive Capperonnerio narratum esse, Bigotium magno studio ad Plutarchum edendum accessisse, eique rei testimonio esse Lexicon Plutarcheum, duobus voluminibus comprehensum, servatumque in Bibl. Regiâ.

Ex adversariis Bigotii ipse quoque nonnulla descripsi, in his variantes Pollucis, quas sero a Kuhnio editas esse deprehendi. Tu, si tantum superest otii, Themistii variantes, quas nondum editas esse, bene scio, in communem utriusque nostrûm usum describas.

Villoisonum meis verbis saluta, et, si nos tui amantissimos amas, valetudinem tuam confirma. Dab. Leidae a. d. 18 Sept. 1775.

WYTTENBACHIO SUO.

S. P. D.

D. RUHNKENIUS.

Remitto tibi censuram tuam, in quâ vix reperi, quod calumniarer, nedum quod reprehenderem. Rectum certumque judicium tuum : oratio elegans ac plane Latina. In quâ te tantum profecisse, eo magis gaudeo, quod, me potissimum auctore, hanc bene scribendi laudem ceteris, quae in te sunt, ingenii ac doctrinae ornamentis conjungendam putasti.

Schardami nullam mentionem fieri, melius est. Moysis locum in Dissertatione non attigi, propterea quod de illo sententiam dixeram in notis, quas satis imprudenter cum Toupio communicavi.

Musgravii amicus, Thyrwitt, qui quam ingeniosus et eruditus sit, conjecturis in Euripidem, quae Musgravianis accesserunt, ostendit, nuper edidit dissertationem de Babriae fabulis, mox daturus ipsum Babriam. Vides, non deësse censurae tuae materiam. Hottingeri libellos mittam propediem. Durus homo et paene rusticus in adversariis refellendis. Vale, mi optime Wyttenbachi. Dab. Leidae m. Julio 1777.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV RUHNKENIUS.

Pro perlustratis meâ caussâ Codd. Huidecop. tibi gratias ago. Ex quibus duos tantum, Horatium et Quinctilianum per Luchtmannos emere constitui, reliquam pecuniam servaturus ad auctionem Burmannianam.

Censurae, quas misisti, venustissimae sunt, et reliquarum tuarum similes; in quibus nihil fere quod reprehenderem, nisi metum umbratici doctoris Frisii, inveni.

Propediem ad Matthaeum literas dabo. Fac igitur, tuae ad me perferantur, sed tenui chartae inscriptae.

Heusingerus immaturâ morte spem de se nostram destituit. Acerbus hic nuncius est, vel Ciceronis caussâ.

Witsenius an jam habet studiorum suorum moderatorem?

Gervinus noster mihi tot tam praeclara narrat de Langero, elegantissimo ex Ernestinâ disciplinâ homine, ut nihil magis, quam illum nobiscum versari, cupiam. Nec dubito, quin sive auctoritas tua, sive gratia apud Hoofdium, Langero profutura sit plurimum.

Bonum factum, quod Wagnerus Hollandiam reliquit. Non erat tale ingenium moribus Batavis ac-

commodatum. Ne Schultensii quidem lenitas hominis acrimoniam ferre poterat.

Vale, mi Wyttenbachi. Hebenstreitii librum adhuc frustra quaero. Scr. Leidae a. 1778.

WYTTENBACHIO SUO.

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

In Tibulli censurâ, quae fere parata est, non desiderabis humanitatem. Quanquam iniquitas Heyniana, quae de Criticâ Batavorum, tanquam de *lusu in verbis*, contemtim loquitur, digna erat, quae leniter castigaretur. Boschium vel conviciis urge, insectare, ut fidem, quam mihi dedit, liberet. Matthaei liberalitate jam teneo totum hymnum Homericum cum variantibus in editos hymnos. Praeclarum carmen, nec valde vitiatum a librariis. Uno tamen loco quatuor versuum lacuna est. De te sic Matthaeus in literis ad me datis : Wyttenbachii mihi dudum nota erat doctrina, nuper etiam totum animum ejus ex unâ epistolâ, quâ ad meam respondebat, videor perspexisse. Spero etiam fore, si hoc literarum commercium inter nos diuturnum fuerit, ut is amicitiam suam, carissimam παρακαταθήκην, in quâ reddendâ tamen, quamvis amicus, fidem fallam, apud me sit depositurus. Hactenus ille. Quod ego tam acutum vix capio. Luchtmansii intra biduum aut triduum quadraginta exempla Longini

Toupiani exspectant : cujus censura, nisi satis materiae sit, in hac Bibliothecae parte locum invenire potest. Vale.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Multa sunt, de quibus tecum agere vellem. Sed nec multa scribere vacat ; et sum pigerrimus in scribendo. Ipse igitur venito, ut coram inter nos colloquamur. Schaderianam censuram mallem scribi vel a Bosschio, vel a Santenio, etiam hac de caussâ, ne quid inde invidiae in caput tuum redundet. In Tibulli recensione multa correxi, plura tibi expolienda reliqui. Santenius nimis petulanter acceperat Heynium. Cujus odii caussas tibi coram explicabo. Ex tribus inscriptionibus simplicissima est *Relationes breviores*. Hanc etiam libri tui partem videre cupio. In Wagneri Odâ aliquot versus sunt lyrici, sed plures prosaici. Euripides Musgravii prodiit. Academia Oxoniensis me et Valckenaerium exemplaribus donabit. Vellem te nobis adjungerent, cum satis illis constet, tertium te esse in triumviris rei literariae constituendae. Vale. Scr. a. 1778.

Horatii odae, de quibus scribis, ne Latine quidem loquuntur. Nihil isto impostore impudentius.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Noli dubitare, quin adventus tuus, sive in 20, sive in 27 hujus mensis incidat, mihi ut dudum exspectatus, sic perjucundus sit futurus. Exclusis interpellatoribus, totus sermonis tui suavitati vacabo, praesertim cum tanta sit ad confabulandum materies, ut ne biduo quidem exhauriri possit. Vellem Germanici itineris comitem traheres Euripidem Musgravii, quem nuper accepi, ejusque recensionem, Bibliothecae parti quartae inferendam, per otium Marpurgense conficeres. Sed idem vereor, ut quatuor spissa volumina accommodata sint iter expeditum facienti. Vale, vir amicissime, et, ni grave est, Tyrwhitti libellum et Facciolati Logicam mihi reporta. Dab. Leidae a. d. 14 Junii 1778.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Speraram, futurum, ut per Leidam ad Lares tuos redires. Sed quando illa spes me fefellit, per literas tecum agam. Scripsit mihi Villoisonus, se sex Longi exempla ad me misisse, amicis suis, in quibus

etiam tuum nomen erat, distribuenda. Sed nullus dum fasciculus ad me perlatus est, quamvis liber dudum in tabernis Leidensibus reperiatur. Longo obiter inspiciendo vidi, Villoisonum sibi Batavos in Criticâ imitandos sumsisse. Sed inest notis juvenilis quaedam et minime Batava luxuries, quam homines graves vix ferant.

Quod a me discedens petiisti, ût tibi potiores quasdam meas in Vellejo emendationes indicarem scito, nusquam mihi rem felicius cessisse, quam ubi vox elapsa per geminationem esset restituenda. Ex hoc genere sunt p. 123, *integri integris*, p. 243, *praecipitatâ civitate*, p. 332, *vir virtutis*, p. 418, *exercitiis exercitu*, p. 461, *fiducia ducis*, etc. Inter certissimas emendationes referes p. 165, *histrioni exacto*, p. 346, *crocota velatus* et *cothurnis subnixus*. Sed nulla correctio inventu difficilior fuit, eoque magis mihi blanditur, quam illa p. 341, *quâ aestate Caesar tam prospere sepelivit in Siciliâ bellum, fortuna in Caesare et rep. mutavit ad Orientem*. Alios etiam scriptores interdum non infeliciter correxi, ut p. 46 Senecam, *Macerio*, p. 188 et in addendis, Plutarchum, ὁ ἱστορικὸς Τουβέρων — ἐν τηβέννῳ. Haec e multis sufficiant, praesertim cum mihi gratius futurum sit, si in omnibus utaris acerrimo illo judicio tuo, nihil dans amicitiae.

Ecquando Wagnerus cum discipulo suo, lauream Doctoris ambiente, Leidam est venturus? Habeo Janum, Horatii editorem, quem ei tradam mordaci sale defricandum.

Boschius, quem meo nomine salutes, mihi tan-

dem sancte promisit, se, omnibus rebus relictis, sententiam de Schraderiano libro dicturum. Vale, mi suavissime Wyttenbachi, et me, ut amas, ama. Dab. Leidae a. d. 8 Octobr. 1778.

Valckenaerius noster quartanâ laborat. Archipedanta Kluitius sub finem hujus mensis Leidae erit.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Multum te amo de recensione Gottingensi: in quâ plus laudis mihi tribuitur, quam speraram. Quod Heynius dicit, me chronologica parcius attigisse, nolui recoquere, quae bene et copiose disputata essent ab aliis Velleji interpretibus. Numeros etiam mendosos, sicut erant in cod. positi, deditâ operâ reliqui, ubi nullus certus numerus, qui reponi posset, sive a me, sive ab aliis erat repertus. Semper tutius est, in hanc partem peccare. Ceterum Heynius sibi visus est nonnulla glossemata post me in textu deprehendisse. Quorum ego ne unum quidem pro glossemate habeo. Neque enim licet verba corrupta, tanquam glossema, ejicere, nisi demonstrare possis, cui rei explicandae inservierint, et quomodo de margine in textum venerint. Illud autem mihi permirum accidit, in monstrosis verbis, *Libium in Caesare et rep.* glossema quaeri, nec sentiri emen-

dationis meae praestantiam. Adeo pauci sunt, qui de bonis correctionibus bene judicare possint.

Remisi tibi recensionem Wagnerianam, in quâ parum bonae frugis. Libri, quos indicabas, ad Fonteinium curabuntur. Valckenaerio nostro meliuscule est. Schultensius et ejus uxor te salutant. Salvebis etiam a meis.

Meas in Horatium notulas cras describam et sine morâ ad te mittam. Vale, mi Suavissime Wyttenbachi. Scr. Leidae 1778.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Recte descripsisti locum Anthemii. Sed forte non tanti putasti notare, quod Puteanus in notula monet, lacunam unius verbi in uno MS. esse inter ἅτις et κατά. Mihi posterius θέσιν temere repetitum videtur.

Valckenaerius quoties delirat, toties sibi aliquot praeclaros viros exagitandos sumit, inprimis Ernestum. Quem ut Graeca nescivisse ostenderet, scripsit Animadversiones in Callimachi fragmenta. Nec scripsit tantum, sed, omnibus insciis, jam prelo subjecit. Vidi forte duas plagulas in operarum manibus. Inest iis eruditio Valckenaerio digna : sed multa etiam impressa sunt vestigia hominis extra ollas vagantis. Filius eum ab hoc instituto revocare conatus est. Sed surdo narrabat fabulam.

Schweighaeuserus doctior est, quam putaram. Habeo nonnulla, quibus ejus editionem exornem. Scr. Leidae, a. 1781.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Pro literis Larcheri et Villoisoni, quas mecum communicasti, maximas tibi gratias ago. Poloni autem literas in isto fasciculo frustra quaesivi. Forte non tanti erat, illas adjungere.

Spero, futurum, ut ferias Paschales Leidae transigas, praesertim quum Schweighaeuseri negotium eodem tempore curari possit. Consul Hispanus, D'Asso nobiscum aliquot dies versatus est, ut Codices Arabicos in Bibliothecâ publicâ excuderet. Optimum et eruditissimum virum cognovi, cujus etiam notitia Plutarcho prodesse queat, propterea quod multo usu conjunctus est cum Bibliothecario Scorialensi. Narravit mihi, nuper Madriti excusum esse Colu-thum ad fidem Codd. Scorialensium castigatum. Utinam Callimacho vel alteri meliori poëtae haec opera navata esset!

Ego cum maxime Hermesianactis fragmentum retractans, cupio emendationes tuas bonas, malas videre.

Soror mea nervorum spasmis et febri ita laborat, ut ejus vitae timere incipiam. Cum non satis prae-

sidii in Ledeboerii arte esse videretur, heri confugimus ad Hahnium. Scr. Leidae, a. 1782.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Gratus omnibus exspectatusque hospes venies. Hortum amoenissimum conduxi, in quo soror cum famulâ habitat. Vellem, domus tam spatiosa esset, ut nos omnes caperet.

Locellam meo nomine salutabis, eique significabis, Orphicorum collationes recte ad me pervenisse. Alias ad eum scribam.

Tollius tibi libellum dabit ad me perferendum. Quâ de re eum admoneas, velim. Vale, et me ama. Scr. Leidae d. 10 Julii 1782.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Accipis sex libelli nostri exemplaria, quorum unum tibi servabis, reliqua meo nomine distribuenda curabis Boschio, Fonteinio, Deutzio, Tollio et Verheykio. Vale, et me, ut facis, ama. Scr. Leidae 19 Dec. 1782.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Gratissimum mihi accidit munus libelli Neapolitani vel hoc nomine, quod ab insigni Cl. Fonteinii profectum est liberalitate. Emendationes Ignarrae me non magnopere delectarunt. Est melior antiquitatis, quam poëtarum, interpres.

Illustris Locella, nullis literis meis provocatus, totam mihi Bibliothecam Vindobonensem obtulit, ingratum conferendi et excerpendi laborem ipse subiturus. Hic suo sibi jumento, ut dicitur, malum arcessit.

Quae in Hermesianactem scripsisti, duobus mihi locis profuerunt. Sed de his coram.

Soror adhuc aegrota, nondum pedem extulit cubiculo suo.

Te nos omnes cupide exspectamus. Poteris tibi itineris comitem adjungere Schultensium nostrum. Vale, et me ama.

Matthaeus nuper haec ad me scripsit : Pro Wyttenbachio jam dudum variantes lectiones omnes adscripsi meo exemplo Plutarchi Vitarum Parallelarum. Nunc tantum circumspicio tempus, quo paululum ab aliis laboribus, quibus nunc opprimor, respirare possim. Hactenus ille. Scr. Leidae 1783.

WYTTÈNBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Blessingium Venetiis discessisse, ex Villoisoni ad Santenium literis intellexi. Sed Ulmaene, an alibi nunc versetur, nescio. Tu illum certiorem facias velim, esse Leidae juvenem illustrem, 14 aut 15 annos natum, cujus studia moresque regere, meâ commendatione, possit: sed opus esse ejus praesentiâ, quoniam pueri tutores negant, se cum absente et ignoto rem contracturos. Lutheranae, an Reformatae formulae sit, nihil interest, modo ne sit Pontificius.

Mariamne mea Boschio nostro maximas pro flabello gratias agit. Una alterave reprehensio mea non debet impedire Boschium, quominus elegantissimum carmen edat.

Uxor, soror, et filiae te salvere jubent. Vale, optime Wyttenbachi. Scr. Leidae, d. 27 Martii 1783.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Viaticum 50 Ducatorum Blessingio, simulatque huc venerit, solvetur. De ejus solutione Stutgardiae faciendâ Leydanum ne monendum quidem putavi,

quod ea res miserae cujusdam et opulentis hominibus semper invisae paupertatis indicium esset factura. A Blessingio, praeter bonos et ad hanc humanitatem compositos mores, trium linguarum, Graecae, Latinae et Gallicae scientia postulatur. Villoisonus mihi scripsit eum etiam Italice et Anglice scire. Juvenis sedecim annorum excellenti est ingenio, et tali flagrat discendi studio, ut frenis potius opus sit, quam calcaribus.

Adventum tuum cupide exspecto. Multa sunt, de quibus tecum colloqui velim. Tyrwhittiani libelli censura parata est. Omnes mei te salutant. Vale, et nos ama. Dab. Leidae, d. 13 Junii 1783.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Blessingius hoc octiduum Leidae exegit, ut linguam Gallice loquendo exerceret. Interea Leydanus tale mihi consilium suum explicuit, se Blessingium non tanquam filii magistrum, sed tanquam amicum, in praedium invitaturum, ut trium hebdomadum spatio exploret, conveniantne mores et disciplina, nec ne. Si filius nihil ex eo discere posset, numeratis 50 Ducatis, dimissurum. Vides, in quales turbas nos conjecerit hominum ventosissimus, Villoisonus. Equidem cum vix credam, Blessingium in hac spectatione talem inventum iri, ut retinendus videatur,

mature te moneo, ut aliam ei conditionem Amstelodami quaeras. Nam nisi quid misero viderimus, sumtibus nostris alendus erit. In culpâ etiam est stulta et ridicula hominis modestia. Heri Leydano dixit, se nec Geographiam, nec Historiam tractasse.

Cantabrigiae sunt duo juvenes, Gr. litteris excellenter docti, Richardus Porson et Th. Edwards, diversus ab eo Edwards, qui puerilem Theocriti editionem paravit. Horum schedas ubi perlustraris, fac, ad me remittantur.

Uxor adhuc laborat febri biliosâ. Omnes te salutant. Scr. Leidae, m. Aug. 1783.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Non dubito, quin in novellis Gottingensibus videris laudes invidiosas, quibus, ut nos ureret, Heynius discipulos suos, Janum et Schützium mactavit. Hi sunt unici veterum scriptorum interpretes: nos nihil, nisi vocularum correctores. Tertium quoque discipulum, Schneiderum, adversus meas reprehensiones defendere ausus est. Velim igitur censurae tuae haec vel similia verba inseras: «Hymnorum Orphicorum antiquitatem ita demonstravit, ut nullus dubitationi locus relictus videatur. Nec eos, qui dissentiunt, aliam errori suo latebram quaesituros opinamur, nisi ut inaniter argutando fingant, vetustos versus Or-

phicos, quos Demosthenes et Pausanias laudant, in recentiores traduci potuisse. »

Uxor tarde convalescit. Soror et filiae recte valent, et te plurimum salutant. Scr. Leidae, m. Aug. 1783.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Secundo Septembris, horâ sextâ, cum sorore Amstelodamum veniam, sequenti die reversurus. Tu, fac, nobis te itineris comitem praebeas, ut uxor et filiae, dum ego lepores sector, jucundissimâ tuâ consuetudine fruantur. Vale, amicorum optime. Scr. Leidae, d. 28 Aug. 1783.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

De domo conductâ tibi gratulor. Himerianum negotium commendabo. Sed Wernsdorfii puerilis notae maximam partem omittendae sunt. Vidi olim specimen, quod non valde placebat. Bangianam Dissertationem per leges Stolpianas non licet remittere. De Schradero bene scripsisti (1). Haec raptim scripsi. Vale et me ama. Scr. Leidae m. Nov. 1783.

(1) Haec pertinent, ni fallor, ad Bibl. Crit. P. VIII, p. 87.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Paradisii tui, vereor, ut ratio habeatur. Vulgi judicio vel Verschurius Groninganus, vel Geunsius Harderovicensis, Doverii successor designatur. At Hahnius, cujus maxima apud Curatores, praesertim tali in re, est auctoritas, ante alios omnes commendat Brinckmannum, Poliatrum Dusseldorpiensem, Gaubii quondam discipulum.

Ad Hottingerum ipse scribam, ubi mihi plus otii obtigerit. Profecto is me ignorat, qui animum meum a se alieniorem factum esse tam levi de caussâ suspicatur. Defuit hucusque, cui Epistolarum Criticarum exemplum una cum literis ad eum perferendum darem. Tu, velim, eum meo nomine moneas, ut diligenter excutiat omnia, quae in Bibliothecâ Berolinensi et editione Bipontinâ ad Vellejum corrigendum afferuntur.

Blessingius, nonnihil mutatus ab illo, quem Leidae vidisti, videtur diutius apud Leydanum mansurus.

Stolpiana quaestio demum sub finem aestatis ponetur.

A Matthaeo et Locella nihil literarum accepi.

Amicus quidam Honkopium ab Himerio edendo deterruit, meliora, dicens, jam apud Photium ex-

stare. Id cum delirantis judicium esse ostenderem, perstitit in consilio Sophistae inprimendi, modo praefatio tua accedat, et delectus fiat notarum Wernsdorfianarum.

Soror, in lubrico lapsa, brachium dextrum fregit. Quae quos dolores pertulerit, vel me tacente, intelligis. Omnes tibi salutem impertiunt. Vale, Wyttenbachi optime, et me, ut amas, ama. Dab. Leidae d. 8 Febr. 1784.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Habes duo specimina typographica Operum Mureti, ex quibus, qualis editionis forma futura sit, cognoscere possis. Alterum exemplum cum Fonteinio, si tanti videtur, communicabis. Notulae, quas hic illic adspersi, non tibi scriptae sunt, sed tironibus veteris elegantiae studiosis.

Quaestio Stolpiana non sub finem aestatis, ut nuper scripsi, sed hoc ipso mense, proponetur. Eam, a Pestelio et Allemando formatam, nec ipse probo, nec te probaturum puto, propterea quod magis theologica est, quam philosophica. Deutzius mihi flebilior occidisset, nisi illum astutus veterator K. depravasset, et patriae suae inutilem reddidisset. Velim ex Boschio nostro quaeras, quis pragmaticorum ejus testamentum exsequatur. Mihi

enim aliquid pecuniae debetur, pro libris, quos ex Germaniâ curavi. Amstelodamenses tui a me petierunt, ut sibi nominarem idoneum Verheykii, mox rude donandi, successorem.

Vale, vir amicissime, et me, ut facis, ama. Dab. Leidae d. 23 Febr. 1784.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Si qua praefectura hoc tempore vacaret, ante alios commendarem Blessingium, cui Leydanus nuper significavit, se ejus conditione non amplius usurum post mensem Junium. Tanto melius, inquit. Blessingio Hallerus succedet. At ego huic rei me non immisceo. Satis est, semel offendisse: Leydanus viderit. Blessingius, nisi brevi aliam stationem reperiat, Tubingam abire, et ibi repetitorem agere decrevit. Ego ita agam, ut non scindam ejus penulam. Tristis homo et ἀγέλαστος non factus est ad hujus aetatis elegantiam.

Himerium excudet Henkoopius, si tu notas pueriles, quae ad illustrandum comparatae sunt, abjeceris, et solas criticas, quibus textus corrigitur, retinueris.

Cum Brunckio ducenta Sophoclis fragmenta, parva, magna, communicavi. In Gnomicis nihil ille

remisit de pristinâ audaciâ. Sed denuo objurgabitur a Valckenaerio

Villoisonus cum Legato Gallico, comite a Choiseuil Constantinopolin abiit, inde profecturus in Graeciam. Vale, et me ama. Dab. Leidae d. 13 Maji 1784.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Constituebam, apud veterem amicum, Hermann. Pollionem dies aliquot rusticari. Sed is spem nostram destituit, uxoris morbo coactus fontes Spadanos petere. Non defuerunt quidem alii, qui me in praedia sua vocarent. Sed meo museo magis delector. Filiae tamen Elisabethae hanc veniam dedi, ut quindecim dies apud consulem Van der Meer exigat. Quae ubi redierit, vel etiam ante ejus reditum, speramus, fore, ut te hospitio nostro recipere liceat. Hortum quidem vendidit dominus: sed tanto crebrius in agros vicinos excurremus, et ambulando ita te defatigabimus, ut ex pingui et obeso, qualem te magis et magis fieri audio, gracilis tenuisque Amstelodamum revertas (1). Vale, amicorum optime. Dab. Leidae, d. 23 Julii 1784.

Libellos, quos a me habes, tecum feras, quaeso.

(1) Conf. V. Wytt. p. 146, ubi, ut nunc video, non satis accurate indicavi annum, quo haec scripta sunt.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

De novâ professione tibi gratulor, et ut lucrum, quod in commutandâ provinciâ sectatus es, votis tuis respondeat, vehementer opto. In Rectore Amstelodamensibus commendando nullas esse meas partes volo. Negavi etiam commendationem Wensinckio, quod mihi visus est nimis alta petere. Is tamen, me invito, consules vestros prensavit, uxorem comitem ridicule trahens.

Scholtenus tuus ad me venit, non ut de lectionibus, quas habiturus essem, mecum ageret, sed ut mihi significaret *avec un déluge des mots*, se gravissimis Pestelii de jure publico disputationibus impediri, quo minus meas de Latinitate lectiones, leviores scilicet, frequentaret. Sic semper solent, qui ex disciplinâ vestrâ huc veniunt: Nieuwlandum excipio: quamquam hunc etiam sive Scholtenus, sive alii ad Pestelianas de jure naturae lectiones traxerunt.

Luzacius noster, quem scis, quanti faciam, etiam atque etiam a te petit, ut partem illam itinerarii, in quo ejus mentio fit, secum communicare velis. Si feceris, quod rogat, mihi quoque gratissimum erit. Vale, vir optime. Filiae, uxor et soror recte valent, et te salvere jubent. Dab. Leidae d. 20 Octobr. 1784.

Pecuniam, quae mihi a Deutzio debebatur, solvit Boschius noster.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Heri de te vocando egi cum illustri Bleisvicio et consulibus hujus urbis, iisque facile persuasi, ut tibi stipendium 2600 florenorum, quo professorum, qui nunc sunt, nemo fruitur, liberalissime decernerent. Omnes te summis studiis expetunt, praecipue Bleisvicius, qui Voetianos quosdam, hanc provinciam ad Wassenbergium trahentes, ne audiendos quidem putavit. Tu tibi etiam atque etiam caveas ab istorum insidiis, qui omnia experientur, ut te, aliquâ novi lucri spe ostensâ, retineant, magis quidem suâ, quam tuâ caussâ. Nam necesse est, tuo discessu Crassianorum discipulorum numerum minui, quin ipsum Athenaeum ad pristinam conditionem recidere, praesertim si Swindenus, quod ocyus serius futurum auguror, Leidam vocetur. Ubi enim Amstelodamenses, in hac ingeniorum penuriâ, doctores vobis pares reperient? Orationem Amstelodami habendam de die in diem differ, quantum potes. Illa ipsa Leidae melioribus auspiciis habebitur. Vale, mi suavissime Wyttenbachi, et mihi quam primum responde. Uxor, soror, filiæ jam gestiunt te, tam-

quam Professorem Leidensem, complecti(1). Leidae d. 24 mart. 1785.

Historiae patriae professio, Kluitio negata, aliquot annos vacabit. Nihil a Curatoribus fieri potuit prudentius.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Recitabo verba ex epistolâ tuâ, d. 28 Mart. scriptâ, ut intelligas, me, Schultensium et alios, qui eam legerunt, secundum Logicae tuae praecepta de sententiâ tuâ judicasse : « *Ut pares sint ab utrâque parte reditus, malim tamen Amstelodami manere.* » Atqui reditus non sunt pares, Amstelodamensi provinciâ reddente 5000, Leidensi non nisi 4600. Ergo Wyttenbachius multo magis Amstelodami manebit. Quis non ex his verbis colligat, omnem a te spem esse praecisam; praesertim quum plura in eamdem sententiam scripsisses. (2). Quod scire vis, quale

(1) Vid. Vita Ruhn. p. 290 et Vita Wytt. pag. 126, ubi pars quaedam hujus epistolae legitur.

(2) Quum Ruhnkenius id unice cuperet, ut, Valckenaerio mortuo, Wyttenbachium quantocyus ex Amstelodamensium Athenaeo in Leidensis Academiae cathedram collocatum videret, hujus autem responsio ad superiores literas non ejusmodi fuisset, quam quidem exspectaverat; stomachari coepit, et Wyttenbachium ut hominem non satis liberalem, et auri sacrâ fame laborantem nunc oblique tangere voluit. Eo enim spectant, quae ex verbis Wyttenbachii *εἰρωνείας καὶ συλλογισ-*

tibi stipendium constitutum sit, dabuntur 3000 floreni, nihil amplius. Monebant enim duo ex consulibus nostris, tale stipendium prope nimium esse, et a plerisque Professoribus, qui tantum 1600 florenos habeant, in sui contumeliam trahi posse. Emolumenta ad eam summam, quam in schedulâ nuper notavi, redeunt (1). Habes, quae postulabas, certa et explorata, quippe ex Bleisvicii et consulum auctoritate ad te perscripta. Nunc tuum erit decernere, quid tibi faciendum putes. Non poterit res trahi diutius propter alios competitores. Ac, si quaeris, quid Leidenses suspicantur, longam tuam deliberationem non alio pertinere, quam ut te Amstelodamensibus quam carissime vendas (2). Rectoratu ne ipsi quidem Curatores te liberare possunt, propterea quod ordinum leges hoc onus Professoribus

τιμῆς concluduntur, *omnem spem ab ipso praecisam esse*. Sed, ut verum fatear, in hac re magis bonum procuratorem Academiae Lugduno-Batavae, quam fidum interpretem verborum amici se ostendit Ruhnkenius. Quod ne cuiquam temere dictum videatur, en Wyttenbachii verba integra, non vero truncata, uti in hac Epistolâ leguntur: « *Curatorum vestrorum erit curare, ut ne meam conditionem deteriorem reddant. Ut pares ab utrâque parte sint reditus, malim tamen Amstelodami manere:* SED TUA TUM CHARITAS, TUM AUCTORITAS, ANIMUM QUASI AEQUALIBUS EXAMINATUM PONDERIBUS LEIDAM VERSUS DEPRIMET. » Quis jam est, qui non videat, Wyttenbachium provinciam Leidensem suscepturum fuisse, si Curatores conditiones ab ipso propositas accepissent? Ergo hi potius praecisae spei auctores, quam Wyttenbachius, a Ruhnkenio habendi erant.

(1) Emolumentorum summa secundum Ruhnkenii computationem erat 1560 florenorum.

(2) Quo jure deliberatio trium vel quatuor dierum, a die 24 Martii ad d. 28 ejusd. mensis, *longa* vocari mereatur, praesertim in re tam gravi, a quâ futurae vitae sors ac tranquillitas Wyttenbachii penderent, et quomodo inde tam sordida et abjecta suspicio apud Leidenses oriri potuerit, equidem profecto non intelligo.

imponunt (1). Vale, mi carissime Wyttenbachi, et me, ut facis, ama.

Dab. Leidae d. 4 Aprilis 1785.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

De horto, quem tibi conduci vis, propediem certiora ad te scribam. Nunc remitto specimen typographicum elegantissimae orationis tuae. Ex libris Gronovianis tam paucos a te desiderari, miror. Heynium periculose aegrotare, Gervinus scripsit Santenio. Toupius ante duo circiter menses diem suum obiit. Tyrwhittus Emendationes in Athenaeum parat. Uxor, filiae et soror te salutant. Vale, mi Wyttenbachi. Dab. Leidae d. 15 Maji 1785.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Ex literis tuis suavissimis intellexi, te, solitudinis pertaesum, vitae torique sociam quaerere. Magni res consilii, et tibi, quod ineptus esse nescis,

(1) Duas conditiones Wyttenbachius posuerat. Prior erat, ut sibi stipendium daretur 4000 florenorum, quum Tollius Amstelodamensem provinciam 5000 florenis aestimasset. Posterior, ut immunis esset a muneribus Rectoris, Secretarii, Judicis et Assessoris, licet cum honorificis tum lucrificis, si quidem ab istis mente et animo abhorreret.

difficilis futura. His enim moribus, sine ineptiis, quibus amabilitas censetur, nihil apud puellas proficitur. Igitur, si vis uxorem ducere, eo modo, *ut ameris, amabilis esto.* Sed haec in congressum nostrum reservemus (1).

Duo Plutarchea volumina per Scholtenum ad me perferenda cures. Vetant enim leges Academicae librum ultra tres menses a Bibliothecâ abesse. Alio tempore eadem vel domi meae, vel in secessu Warmondano excerpas. — Notusne tibi est *Timesias* historicus, quem Muretus Var. Lect. XIV. 15 laudat? Ego *Timaeum* legendum puto. Is enim de Dionysio multa scripsit. At unde Muretus locum sumsit? Nolim suspicari, totum ab eo confictum esse, ut fecit in Attii et Trabeae jambis (2). — A Tyrwhitto accepi Isaei orationem numquam antea vulgatam. A te unâ cum Plutarcho Leidensi exspecto librum Anglicum de hexametris Homeri. — Nuper pisces Amstelodamo accepi, quos utrum tibi, an Vriesio debeam, nescio. Tu mihi muneris auctorem indicabis. Vale, mi optime Wyttenbachi. Uxor, soror, filiae te plurimum salutant. Leidae d. 26. dec. 1785.

(1) Vid. V. Wytt. p. 236 et 237.

(2) Cf. Ruhnk. ad Mur. Op. T. II. p. 333, ubi tradit locum e Scholast. Aesch. de Fals. Legat. p. 751 desumsum esse.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

De secessu Warmondano quod spem facis, non solum mihi et meis gratissimum accidit, sed etiam Schultensio et Paradisio, qui tam crebro te invisuri sunt, ut nullus tibi de solitudine querendi locus relinquatur. Ac casu quodam idem hortus, quem tibi superiore anno tantopere commendabam, rursus vacat, centum et decem florenis conducendus. Hortus quidem modicus est, sed domus tam spatiosa, ut, quod saepe optasti, totam familiam meam cum Dromade et Leucone recipere possis. Itaque reliquum est, ut, quid statueris, ad me perscribas. Spruitius se paratum ostendit ad reliqua negotia, quae differri non possunt, tuo nomine conficienda.

Allemandus, ut audio, e gravi morbo recreatur. De ceteris consiliis coram colloquemur feriis Paschalibus. Vale, mi suavissime Wyttenbachi, et pristinam sanitatem ab aëre Leidensi pete. Omnes mei te plurimum salutant. Scr Leidae d. 11 Febr. 1786.

Hana, si conrectoratum impetraverit, bonâ fide ad literas nostras reditūrus videtur. Id igitur effice auctoritate tuâ, quâ, ut debes, vales plurimum.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Recte Spruitius mihi Plutarchos redddidit. Vellem, ut promiseras, librum Anglicum de hexametris addidisses. A. Burgessio nostro tres epistolas intra breve tempus accepi. In postremâ sic scriptum erat: » Bibliothecam Crit. nunc nullam esse audivi: ex » falsâ famâ, spero. In Angliâ profecto tot lauda- » tores habet, quot lectores. Eruditissimum Wyt- » tenbachium salvere jubeo. Promissum meum de » Plutarchi MSS. Oxoniensibus, cujus adhuc me » reum esse piget, cito absolvam. » De Burgessii consilio mense Aprili ad me mittetur juvenis Anglus nobilissimus et opulentiâ nemini secundus, ut privatim a me bonis artibus erudiatur. Quem si, ut optabat, aedibus meis recepissem, Schultensii in hoc genere felicitatem aequassem. Sed cogitans, quae filiarum aetas sit, oblatam conditionem rejeci. Satis est, in ejus institutionem horas a publico munere vacuas, impendere.

De uxoris ducendae consilio, quod cum maxime agitas, quo diligentius cogito, eo magis te ab eo deterreo. Si indolem tuam tot annorum tam familiari consuetudine recte perspexi, videtur simillima esse ingenio Rudolphi Agricolae, de quo vide Baelium in Lex. Hist. et Crit. Quae igitur rationes illum,

eaedem te, si bene et tranquille vis vivere, a matrimonio ineundo revocare debent (1).

Ab horti Warmondani conductione te alienum fuisse, non tam meâ aut meorum, quam tuâ causâ doleo. Agis enim Amstelodami, quamquam tuâ culpâ, vitam tam laboriosam et exercitam, ut, nisi fessus animus et fractum corpus coeli mutatione et ambulationis crebritate recreetur, vix satisfacere officio suo possit. Gratus tu quidem acceptusque nobis hospes venies. Sed vereor, ne Leidae aëris Warmondani salubritatem requiras. Vale, amicorum optime, et, quid agas, vide. Scr. Leidae, d. 16 Martii 1786.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Gratissimus, ut semper, nobis hospes venies. Sed vereor, ut lectiones tuae finitae sint 26 Junii, qui dies Fonteinii profectioni constitutus est. De Friesemanno coram videbimus. Is in titulo partûs immaturi pueriliter ostentare voluit, se Anglice scire. Sed, pluralem cum singulari jungens, turpem prodidit illius linguae inscitiam. Brunckius in literis, quibus mihi praeclaram Sophoclis editionem donavit, sic scribit : *que fait M. Wyttenbach? Est-il encore en vie? N'a t'il pas passé dans l'Université*

(1) Conf. Vita Wytt. pag. 237.

de Leide? Il y a un temps infini que je n'ai entendu parler de lui, ni vu de continuation de la Bibliothèque Critique. Je me propose de lui envoyer un exemplaire de Sophocle. Mais pour cela il faut que je sache s'il existe, et où il fait sa demeure.

A Matthaeo 25 Ducatis redemi illum ipsum codicem Homeri, ex quo H. in Cererem editus est, ut aeternum domicilium habeat in Bibliothecâ publicâ.

Vale, suavissime Wyttenbachi, et, quo die Leidam venturus sis, ad me perscribe. Uxor et filiae te salutant. Soror est Vlardingae. Scr. Leidae d. 18 Junii 1786.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Polybiana dudum ad Schweighaeuserum misi, et in eundem fasciculum conjeci duplex Apuleji exemplum, alterum in chartâ majore Brunckio destinatum, alterum Schweighaeusero. Callimachea quoque missa puto a Santenio. Bibliothecam philolog., de quâ scribis, ipse non accepi, sed apud amicos vidi. Groddeckius mihi bina disputationis suae exempla misit. Non habet iste libellus multum bonae frugis. Omnino praeposterum juvenum Gottingensium consilium est. Ante docere alios instituunt, quam ipsi didicerunt. Non dubito, quin saepe videris Spaldingium. Is ingenio et humanitate suâ me mirifice

cepit. Utinam talis juvenis, misso studio Theologico, se totum literis nostris dicaret. Vale, vir optime, et, si per tempestatem licuerit, nos invise. Scr. Leidae, a. 1786.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Quibus rationibus praestantem juvenem, Hanam, ad literas nostras traducere sim conatus, ex ipso te arbitror cognovisse. Superest, ut matrem expugnemus, quae, ut solent tales mulierculae, nihil tam expetendum putat, quam filium in sacrâ cathedrâ stantem videre. Est tamen spes aliqua, eam faciliorem futuram, si conrectoris munus per te ad filium suum deferatur. Totum hoc in tuâ manu est. Sed quid? si Eckholdus diutius, quam rationes nostrae ferant, vitam trahat? Tum auctoritate tuâ perficiendum est, ut is rude donetur, et Hana sine morâ in ejus locum sufficiatur. A me Hana habebit Phrynichum Arabium, ut et eo edendo familiaritatem cum scriptoribus Atticis contrahat, et nomini suo commendationem quaerat.

Uxor, soror, filiae te plurimum salutant, sperantes, fore, ut ferias Paschales cum Bucephalo tuo apud nos transigas. Vale, mi optime Wyttenbachi. Scr. Leidae, d. 28.Jan. 1787.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Gratulor tibi de loco tandem invento, ubi nullus fluviorum aut fossarum objectus ambulationem tuam impediat. Quod nos eodem quam humanissime vocas, nobis vero non licet oblato uti beneficio. Primum non audemus domum harum famularum levitati concredere. Deinde, ipse, sive naturâ, sive aetate, alienior sum ab itinere, quod me tam longe a laribus meis removeat, suscipiendo. Οἴκοι βέλτιον εἶναι. Alia res est in praedii vicinitate, quae singulis horis facultatem dat, quid domi geratur, inspiciendi, bibliothecae et meae et publicae visendae, periculorum typographicorum relegendorum, etc. Speramus tamen, fore, ut, antequam te in istam solitudinem abstrudas, nos et reliquos amicos, qui Harderòvicensium Professorum vicinitatem prae Leidensium a te expetitam esse dolent, invisas (1).

Brevi ex Italiâ in Bibliothecam publicam migrabit liber antiquus, quem in dudum deperditis numerabamus. Is est Demosthenis Thracis Metaphrasis Odysseae, Attico sermone scripta, et saepe laudata ab Eustathio: de cujus exquisitâ elegantiâ vide Valckenaerium Diss. de Scholiis Homeri. Vale, mi optime Wyttenbachi, et nos, ut facis, ama. Dab. Leidae d. 26 Mart. 1787.

(1) Conf. Vita Wytt. pag. 234.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

MAGNA cum voluptate specimen (1) tuum legi, quod non hoc nostro, sed Aristotelio more διαλεκτικῶς scripsisti. Nec in tam accuratâ scriptione, quod moneam, habeo. Sed multa sunt, de quibus tecum colloqui velim. At tu spem colloquii ex alio in aliud tempus rejicis : et mox te abdes, quo nemo te sequi possit (2). Hoc unum deerat, ut, quod superiore anno facere cogitabas, ad Confluentes rusticatum ires. Verum non dubito, quin brevi te talium consiliorum poenitentia subitura sit. In Hanâ ad conrectoratum promovendo, velim, nihil intentatum relinquas. Si ille repulsam ferat, hoc turpe utrique nostrûm futurum est. Excitandus est Boschius, ut clamoribus rem agat. Vale, mi suavissime Wyttenbachi. Uxor, filiae et soror te plurimum salutant. Leidae d. 10 April. 1787.

(1) Editionis Operum Plutarchi, quod specimen legitur Bibl. Crit. Part. XI, ab init.

(2) Significatur his verbis praediolum Wyttenbachii Eemnessanum.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Utinam vel horam una essemus, ut, qui tuus in hac servitute sensus sit, cognoscerem. Me quidem adeo poenitet Hollandiae, ut, si Soram vocarer, sicut olim in simili rerum conversione Io. Meursius, conditionem acciperem (1). Nec quicquam, hoc reip. statu, me delectavit, praeter Bibliothecam Criticam, in quâ ingenio tuo digna sunt omnia, inprimis animadversiones in Julianum, elegantissime scriptae ad eam rationem, quam tu fateri soles meis in Timaeum notis tibi esse demonstratam. Muretum putabam tribus voll. posse concludi. Sed praeter opinionem excrevit in quartum, quod nunc prelum exercet. Platonis Scholiastes maximam partem impressus est. Notarum tamen, quas in eum scripsi, excudendarum initium non ante faciam, quam nova Timaei editio, multis partibus locupletior, prodierit. Postulatur etiam a nobis nova elôgii Hemsterh. editio, cui praeclara illa R. Bentleji epistola accedet. Habes, quae Fonteinio patri, quem e gravi morbo recreatum esse gaudeo, per otium narres. Ferias Paschales, ut Leidae apud nos agas, te vehementer rogo. Poteris eodem tempore de Schweighaeusero bene mereri, Jos. Scaligeri Notis in Polybium describendis, quas

(1) Conf. Vita Ruhnk. pag. 196.

ille crebris literis a me postulat. Ego autem nihil pejus odi, quam describendi laborem. Stolpiani Curatores nullam dissertationem praemio dignam judicarunt. Vale, mi suavissime Wyttenbachi. Mei omnes te salutant, et satis recte valent, exceptâ Mariamnâ, quae adhuc eodem nervorum spasmo laborat. Leidae d. 8 Jan. 1788.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Quasi domus mea in nosocomium conversa esset, ita in eâ aegrotant et filia natu minor, et duae famulae. Igitur a te petere cogor, ut adventum tuum, quem multis de causis tantopere exspectabam, in tempus nobis commodius differre velis. Vale, vir optime. Leidae d. 19 Mart. 1788.

SUAVISSIMO

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Mitto tibi plagulam, in quâ de ἀκτσινοῦν disputatur. Platonis verba, quae pag. 20 laudavi, haec praecedunt: τὸ δὲ τοσόνδε οἶδα, ὅτι πᾶν ζῶον ὅσον αὐτῷ προσήκει

νοῦν ἔχειν τελεωθέντι, τοιοῦτον καὶ τοσοῦτον οὐδὲν ἔχον πότε φύεται. ἐν τούτῳ δὴ τῷ χρόνῳ, etc. — Burgessius mihi scripsit, se propediem Leidae futurum, et ibi mensem commoraturum. Tui videndi mirum ostendit desiderium. Nos omnes Warmondae sumus, et satis recte valemus. Mariamna tamen urbem agro praefert. Spero etiam, bene tibi esse, et Elisabethae meae, cujus literas exspecto. Saluta Vriesium, Vrisiamque, et vicinum humanissimum, Lublinckium. Vale, mi carissime Wyttenbachi, et, quid tibi de Platonis loco videatur, rescribe.

Leidae m. Aug. 1788.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Te ex gravi morbo, qui nos valde sollicitos habebat, convaluisse, laetor et triumpho. Filia mea magnum humanitatis tuae fructum cepit, et a me petiit, ut tibi gratias, quas possem maximas, agerem. Burgessius noster quotidie ex me quaerit, quando et ubi te videre possit. Statuit enim tecum agere de Plutarcho sumtibus Academiae Oxoniensis imprimendo. Nimirum Oxonienses volunt culpam, quam aliquot malis editionibus proferendis contraxerunt, melioribus redimere. Quo consilio tres viros eruditos magnis praemiis invitarunt, qui correctorum munere fungantur. Urget hoc institutum Episcopus

Salisburiensis, cujus capellanus est Burgessius. Siccine Fonteinius ad plures abiit tui immemor? O! hominem angusti animi, et ad sordidam parsimoniam abjecti. Οὗτος ἐμοὶ τέθνηκε, nec unquam posthac ejus nomen a me commemorabitur.

Vale, mi suavissime Wyttenbachi, et nos, ubi Emmenessam reliqueris, invise. Leidae d. 31 Aug. 1788.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Ex Burgessio nostro libenter cognovi, tibi jam esse, ut volumus. Nam corpus, quod amissum est, facile, depulso morbo, revocabis. Nec tamen tibi auctor sim, ut sub Octobris initium ad pistrinum Amstelodamense properes, ubi, necesse est, vires, quae otio refovendae et alendae sunt, lectionibus habendis hauriantur. Satius est, in recessu Emmenessano manere, aut, quod multo magis cupio, aliquot hilares dies nobiscum Leidae sumere. Burgessius, hinc proficiscens in Angliam, mihi reliquit excerpta duarum epistolarum tecum communicanda. Octobri medio Oxonienses de Plutarcho imprimendo et praemio tibi decernendo in consilium ibunt. Nec dubito, quin res ex voto cessura sit.

Si forte animus tuus nondum ad graviora vigeat, sumas tibi aliquid levioris operae, v. c. descriptionem Variantum Polybii.

Morellus ex te cognoscere cupit, an recte acceperis Catalog. Bibl. Pinellianae, et partem Bibl. Crit. recens editam avide exspectat.

Elisabetham, quae nunc utitur hospitio nobilissimi Hoeufftii in aréâ Heemstedanâ, admonui de epistolâ ad Lublinckium scribendâ.

Vale, mi suavissime Wyttenbachi. Tota domus mea te salutat. Leidae d. 26 Sept. 1788.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Ersi nihil dum ad me scripsit Burgessius, tamen non dubito, quin, quid Oxonienses decreverint, vel per illum, vel per alios cognoris. Calkoenius certe narravit Schultensio, facta, transacta esse omnia.

Valckenaerii Plutarchum apud Luzacium vidi. Habet emendationes non multas : ut plerasque in Adversariis, quae nunc Parisiis sunt penes filium, consignasse videatur. Apud Luzacium etiam est editio Basiliensis Vitarum, non Moralium. Utrumque librum, si jusseris, habebis.

Velim emendes locum e Platonis Timaeo, quem adjecta pagina tibi indicabit. Quod in priore editione conjeci, non satis certum videtur.

Ad Morellium, qui in te amando cedit nemini, quamprimum literas scribes, et novissimam Bibl.

Crit. partem, cujus desiderio cruciatur, mittes. Nunquam vidi hominem ad nos juvandos paratiorem. Nec ullum mihi dubium est, quin, si sumtus facere velis, Plutarchi Codices collaturus sit. A Schweighaeusero idem jure tuo postulabis. Imo Scaligerana Polybii collatio ne mittenda quidem, nisi sub hac conditione.

Morellii ad me epistolam, quia nova quaedam nunciat, his literis adjeci. Quam, fac, cum emendato Platonis loco, mihi remittas.

Ex Lublinckiae ad Elisabetham literis intellexi, te, recuperatâ valetudine, totum esse in juventute erudiendâ. Quod nos omnes gaudio cumulavit. Vale, optime Wyttenbachi. Tota domus mea te salutat. Leidae, d. 12 Dec. 1788.

WYTTENBACHIO SUO.

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Quo segniorem aetas me in literis scribendis facit, eo vehementius tecum colloqui cupio, praesertim quum infinita sint confabulandi argumenta. Feceris igitur et mihi et meis omnibus gratissimum, si nos per ferias Paschales et longo intervallo revisas. Asperum frigus est, fateor : sed luculentus tibi focus in cubiculo parabitur. Platonis locum in Timaeo sic explicuisti, ut nihil fieri possit melius. Utinam pari felicitate expedias alterum Legg. VI. p. 623

F., ubi me valde torquent verba : ἐλάττω δὲ ἢ τε Ἡρακλ., etc., quae ita transponenda videntur : ἐλάττω δὲ ἢ τε Μαριανδυνῶν δουλεία τῆς τῶν Ἡρακλεωτῶν καταδουλώσεως ἔριν ἂν ἔχοι. Mariandynos Heracleotarum servos factos esse, constat ex Posidonio apud Athen. VI. p. 263, et Strabone XII. p. 817. At de servili Heracleotarum conditione nihil a quoquam traditur. Aliter Platonem tentat Abreschius ad Hesych. v. Κιλλικείριοι, quem vide. Totus sum in parandâ Dissertatiunculâ de variis Graecorum servis ad Timaeum v. Πενεστικόν. — Plutarchi Moralia ex edit. Basiliensi sunt in Bibl. Pinellianâ, quae brevi distrahetur Londini. Est ibi etiam editio rarissima Consolationis ad Apollonium. Scaligeri Polybiana, velim, tecum Leidam reportes. Vale, mi suavissime Wyttenbachi. Omnes mei te exspectant.

Dab. Leidae d. 1 April. 1789.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Libentissime cum ex Schuttio nostro, tum ex literis tuis cognovi, molestissimam febrem tandem esse depulsam.

Hussonus est literis Graecis Latinisque bene eruditus, et moribus emendatissimis. Quo de republicâ sensu sit, quaerere noli. Pater ejus, Hagae degens, per *felicem* rerum conversionem perdidit annuos

reditus 1500 florenorum. Nunc non habeo digniorem, quem tibi commendem. Alii nondum ad maturitatem pervenerunt.

Pro Platonici loci explicatione tibi gratias ago. Hic etiam expertus sum, quod saepe alias, δυτέρας φροντίδας non semper esse σωφρονέστερας. Locum eodem modo, quo tu, ante acceperam. Postea, nescio quomodo, ad verborum transpositionem delapsus sum.

Verbosis et inanibus Schweighaeuseri literis, cum tu scripseris, respondebo.

Paradisius rursus aegrotat. Soror etiam mea his ipsis diebus ita decubuit, ut de ejus vitâ desperaremus. Nunc tamen periculum videtur evasisse.

Permulta sunt alia, de quibus tecum agere vellem. Sed ea differo in adventum exoptatissimum, cujus spem facis. Uxor et filiae te plurimum salutant. Vale, mi suavissime Wyttenbachi. Leidae, d. 17 Maj. 1789.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Heynius et literas et duo fasciculos ad me misit tibi inscriptos. Habes literas. Fasciculos Luchtmannis tradam ad Hengstium mittendos, nisi alia oblata fuerit occasio.

Te sub finem hujus mensis avide exspecto. Multa sunt et literaria et politica, de quibus agamus.

Veni igitur, et tui videndi exple desiderium. Heynius Rostochium vocatus est, ut Cancellarii titulo Academiam regat. Vale. Leidae, d. 7 Junii 1789.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Rarae quidem literae tuae sunt: sed raritatem mirificâ suavitate compensant. In iis multa me delectarunt, sed nihil magis, quam amor ille, quem mihi non solum vivo praestas, sed etiam meis, quum esse desiero, te praestiturum, sancte promittis. De rebus nostris, modicis illis quidem, sed satis explicatis, cum sub tempus vernum ad nos veneris, confabulemur (1). Caeterum et animo et corpore ita vigeo, ut, nisi me apoplexia rapiat, videar posse ad eamdem aetatem, quam mater mea attigit, i. e. ad annum 86 pervenire. Ante paucos dies ingressus sum annum 66. Incidit enim natalis meus in secundum Januarii 1723. Nec ullâ aliâ re senem me fieri sentio, nisi pigritiâ in literis scribendis (2). — De Bibl. Crit. quod narras, gratissimum est. In Timaeo, quem ita emendavimus, ut ne serae quidem posteritatis judicium extimescere debeat, singulae paginae aliquid novi habent. — In aliâ Bibl. Crit. parte

(1) Conf. V. Ruhnk. pag. 239 et 260.
(2) Ibid. pag. 202.

sententia tibi dicenda erit de libro eximio et paene scripto ad legem nostram, Ignatii Rossii Commentationibus Laërtianis, Romae 1788, 8. — Quod scribis, te fortasse aestatem apud nos consumturum, nihil nobis accidere potest optatius. Eris hic, tamquam domi tuae. Tempus matutinum Plutarcho dabis, pomeridianum animi remissioni. Valetudinem tuam aut coelum Leidense, aut Paradisii pyxides confirmabunt. Cista quoque librorum ad Plutarchum pertinentium, sine magnâ impensâ, huc transferetur. Quamobrem, si me amas et carum habes, huc sub vacationum initium properabis, aliis consiliis, quae te Eemnessam, aut Parisios trahant, repudiatis.

De Variantibus Plutarchi statueram ad Schowium scribere. Sed cum scirem, non canes e Nilo bibentes magis festinare, quam peregrinatores Germanos, malui hoc negotium mandare Josepho Spaletto, semper Romae degenti, praesertim cum accuratam industriam suam in excerpendis Appiani et Polybii Variantibus Schweighaeusero vehementer probasset. Ab eo responsum exspecto. — In Bibliothecâ Leidensi est editio Basil. Vitarum A. 1542 et Moralium A. 1560. Vide igitur, ne numerus 1562 et 1574, quem in epistolâ tuâ ponis, profectus sit a notâ fraude bibliopolarum. Certe non est credibile, Plutarchi editiones Basileae tam paucis annis esse repetitas. — Woordium, quem mihi commendas, numquam vidi. Nec dubito, quin jam depravatus sit a commilitonibus, abductusque vel ad Pestelianas de Jure Naturali, vel ad Wynperssianas de Me-

taphysicâ lectiones. Haec quidem calamitas fundum nostrum non minus infestat, quam quondam Cartesianismus scholas Joh. Frid. Gronovii (1). — Vale, amicorum optime, uxor et filiae te plurimum salvere jubent. Leidae d. 5 Jan. 1790.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Gratus omnibus exspectatusque hospes venies. Interpellatores, quoad ejus fieri poterit, removebuntur. Vale, et fac, aliquot plagulas impressas Bibliothecae Criticae tecum feras. Leidae, d. 3 Maji 1790.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Te bene valere gaudeo. Elisabetha ex gravi morbo, qui eam per duo menses lectulo affixam tenuit, hactenus recreata est, ut in cubiculo suo ambulare possit.

Habes Plutarchi Variantes a Josepho Spalletto de Mureti exemplo accuratissime descriptas, quarum

(1) Conf. V. Ruhnk. pag. 111.

reliquam partem expecto. Ex epistolarum involucris, quantum mihi pro vecturâ debeas, intelliges. Mostertianum nomen ll. 6–16 expunxi.

Mense Octobri, ubi retrusum Emnessae angulum reliqueris, vehementer cupio te Leidam venire, ut de praemio, quod Spalletto dandum sit, inter nos deliberemus. Is omnia tuo meoque arbitrio permittit. Quo liberalius cum viro tam liberali agendum est.

Omnes mei te salutant. Vale, amiçorum optime. Leidae, d. 11 Sept. 1790.

Doctissimus Jakson, Decanus Collegii Oxoniensis, quod a corpore Christi nomen habet, valde dolebat, se nullam tui conveniendi potestatem Amstelodami habuisse. Is mox Episcopus futurus est, et Curator prcli Academici.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Quandoquidem tibi imperare nequis, ut Leidam venias, ego ad te veniam die Veneris, qui est 24 Decembris. Peto autem abs te, ut mihi hospitium in unam noctem vel domi tuae vel alibi pares. Dixi in unam noctem, quoniam mihi sequenti die Leidam revertendum est. Quo magis cavebis, ne quid temporis ab interpellatoribus eripiatur. Vale. Leidae, d. 21 Dec. 1790.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

De subsidiis Anglicanis tibi impense gratulor. Toupiani libri nullum exemplum ad me pervenit; ut non dubitem, quin Burgessius alterum, quod apud te est, mihi destinaverit. Syngrapha dudum ad Spallettum missa est. Amicorum ex Germaniâ literae nunciant, Horatii editorem, Janum, diem suum obiisse. In quo etsi non magna jactura facta est, precor tamen, molliter ossa cubent. Peregrinator aliquis mihi narravit, Heynium, ne tu plus caput auctius referres, Homerum suum Oxoniensibus imprimendum obtulisse. Res non abhorret ab ejus ingenio. Sed duo cum faciunt idem, non est idem. MSS. Hemsterhusianorum melior pars in nostram Bibliothecam migravit. Plures tamen libri ejus manu notati venditioni expositi sunt, sive filii, sive heredum culpâ. Ex iis potiores pecunias vindicabo Bibliothecae publicae. Quod monere visum est, ne forte tu cum Boschio licitatorem apponatis.

Omnes mei te amant et salutant. Vale, vir animo meo carissime. Leidae, d. 23 Febr. 1791.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Gratus nobis exspectatusque hospes venies. Ab interpellatoribus tibi otium praestabimus, unum excipientes Schultensium, quem propter singularem amorem, quo utrumque nostrum prosequitur, nefas sit excludere. Vale. Leidae, d. 29 Maji 1791.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Jucundissimae mihi literae tuae fuerunt, etsi aliquid tristitiae habebant, e corporis vitio natae. Quod tibi, semper domi sedenti, et genus humanum refugienti, accidere necesse est. Sed quicquid aegritudinis feriis Paschalibus Leidam attuleris, filiarum mearum discutiet hilaritas. Multum etiam proficient duae famulae, altera tenella genarum mollitudine, altera rubore verecundo, quarum quae sit vernilitas, nosti. Veni igitur, ut eâdem jocorum tuorum festivitate, quâ superiore anno, oblectemur.

Santenii nostri nuptiae multis risui fuerunt. A Medico Ledeboerio, cum ei copiam consilii sui fecisset, hoc responsum tulit: « Mitte igitur quantocyus

ad fabrum lignarium, qui tibi arcam paret. » Cui Santenius, ut poëta, hos Ovidii versus occinuit :

At mihi contingat Veneris languescere motu ;
Cum moriar, medium solvar et inter opus (1).

Bis Wassenariae fui, ut tibi domum cum horto quaererem. Sed nihil reperi, quod mihi, nedum tibi, homini tam difficili, placere posset. Ita idem angulus tibi repetendus erit, cui malè precari non desino, quod me summâ voluptate, quam mihi in consuetudinis tuae suavitate constitueram, tot annos privavit. — Spalettus ad Luchtmannos misit aliquot Anacreontis sui exempla, quorum unum tibi destinatum est. — Scholia MSS. in Dionys. Perieg. Leidam veniens, tecum feres. Mei omnes te amant et in oculis ferunt. Vale, optime amicorum. Leidae, d. 9 Febr. 1792.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Mihi vero perplacent formae textûs Graeci. Modus typorum in versione Latinâ non minutior est, quam in Demosthene Tayloriano. Sed hoc forsitan utilius fuerit libri emtoribus, quam tibi, cujus rationes a plagularum numero suspensae sunt. Magis me offendunt nimis minuti typi versuum, qui interpo-

(1) Ovid. Amor. L. II. El. VIII, 11 et 12.

nuntur, Euripidis, Phocylidis, etc. Mecum sentit Luzacius. — Me adhuc exercet ingratus idemque inglorius labor Schelleriani Lexici recensendi et ad tironum usum accommodandi. Pro quâ tamen operâ, Wyttenbachium meum imitatus, mercedem exegi (1). Sero intelligo, me hucusque ad omnia alia rectius sapuisse, quam ad rem faciendam. Multa sunt, de quibus tecum colloqui vellem. Sed omnia differenda sunt in adventum tuum, cujus non dubiam spem fecisti. — Spallettus multum queritur de silentio tuo. — Leidae Kal. Jan. a. 1793, quem tibi diem faustum esse jubeo. Vale, amicorum optime.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Quam exspectatus hospes nobis post Kal. Jan. venturus sis, nisi satis scires, vel ex eo judicare poteris, quod jam nunc famulis mandavi, ut, quamdiu tu apud nos esses, omnes interpellatores, uno Nieuwlandio excepto, excluderent. — Elisabetha, quamvis invitata a Boodio, Amstelodamum ire noluit, propterea quod nunc Leidae instaurati sunt concentus musici, qui Amstelodamensibus meliores esse dicuntur. — De iis, quae ad Schultensii memoriam pertineant, colloquar cum filio. Caeterum audivi, Cantelaarium velle in Concordiâ Amsteloda-

(1) Conf. V. Ruhnk. p. 265.

mensi laudes Schultensii celebrare. Brevius eamdem rem aget Paradisius in Oratione d. 8 Febr. habendâ. Villoisonus mihi scripsit, se Parisiis Aurelianum migrasse, ut bibliothecam Henrici Valesii, quae illi civitati legata est, excuteret, et nunc totum esse in vetere Graecià cum eâ, quam ipse viderit, comparandâ. — Harderovicensibus, de vocando Graecae linguae Professore agitantibus, per Tollium, cujus auctoritas plurimum valet, Hanam nostrum commendavi. Quae commendatio a te quoque adjuvanda est. — Sunt alia multa, de quibus tecum agere vellem. Sed ea reservamus confabulationibus nostris. Vale igitur, et ad nos advola. Uxor et filiae te complecti gestiunt. Leidae d. 29 Dec. 1793.

In Allatianis Excerptis, quae penes te sunt, p. 351 sic lego : Καλλίαν ἢ τὸν δημόσιον Πιττάλακον. Vid. Demosth. pag. 24 et Scholia Demosth. p. 1416. Anthol. VII. p. 602. Huic correctioni, si tanti est, locum dabis ad Plutarchum T. II. p. 1098.

In Fragm. veteris poëtae apud Plut. T. II. p. 1130, vide, an scribendum sit, λειμώνεσσι, καλοῖσι τ' εὐκάρπων μὲν ἀνδρῶν καὶ συσκίων δένδρων ἄνθεσι τεθηλὸς — ποταμοί τινες ἄκλυστοι, καὶ λεῖαι (1). De voce ἀνδήρα. H. Steph. Ind. Thes.

(1) Hujus emendationis meminit Wytt. ad Plut. T. V. p. 411.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Gratissimae mihi literae tuae fuerunt, praeter eam partem, quae itineris ad nos tui dilationem nuntiabat. Exspectemus igitur, ἀλυόμενοί περ, ferias paschales. Ex libris, quos requiris, nuper in auctione Hinlopianâ venditi sunt Cleomedes Balsorii et Scriptor Theolog. Arithmeticorum : mox in Miedenianâ Hagae venduntur Excerpta Rhetorum, et alii libri rarissimi. Ex quo intelligitur, aut Hengstium in Catalogis tecum communicandis, aut te in illis legendis negligentiorem esse. — Eurydices epigramma ab uno Plutarcho servatum videtur : quod, scio, emendatum esse a Toupio in indice Epistolae ad Warburtonum v. Οἰστός. — Βίος ἐπὶ ζωστῆρος est *vita parata, expedita.* Plutarchus expressit Latinam locutionem, *in procinctu.* — De metro versus Μέτε, Καρκῖνε, Santenium consului, cujus responsum habes in schedulâ adjectâ. — Quod quondam, quae ex Platone laudantur, uterque in Platone frustra quaesivimus, non te fugit, quod monuit Casaub. ad Athen. p. 382, multa ab Aristostele laudari e Platone, quae in eo non reperiuntur. — Damon, qui fidibus docuit Periclem et Socratem, per temporis rationes non potuit docere Aristoxenum. De quo errore mo-

nendus est discipulus tuus (1). — Schultensii ingenium et mores pulcherrime descripsit Paradisius in Oratione brevi produturâ. Reliqua ad ejus vitam pertinentia, filius, cum huc venerit, tibi suppeditabit. — Audivi, Hanam saepe Amstelodamum venire, ut matrem aegrotam invisat. Sed nescio, an quid tecum communicaverit de negotio Harderovicensi. Ad me ne γρὺ quidem. Vale, mi carissime Wyttenbachi. Uxor et filiae te plurimum salvere jubent. Leidae d. 23 Febr. 1794.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Speraveram, fore, ut Elisabetha fasciculum librorum, quem ex Angliâ exspectas, secum ferret, praesertim cum Elmlejus dudum scripsisset Luchtmannis, libros a se esse dimissos. Nunc Elisabetha, ne inanis veniat, pro libris haleces afferet.

Praefationem tuam legere cupio, antequam Oxonium mittatur, non quo lima indigeat, sed ut animo meo suavis pastus praebeatur.

Spalettus Anthologiam suam a Luchtmannis edi

(1) Non opus fuit, ut me istius erroris Wyttenbachius admoneret, siquidem falso putaverat Ruhnkenius, se hoc in Diatribe meâ legisse. Pag. 12 diserte dixeram, Aristoxenum *quatuor* habuisse magistros, patrem suum Spintharum, Lamprum Erythraeum, Xenophilum Chalcidensem atque Aristotelem, nullâ omnino Damonis mentione factâ.

vult, sed nimium quantum postulat. Ejus literas adjeci, quas a te et Boschio lectas mihi remittes. Equidem auctor sim Boschio nostro, ut quâvis conditione cum Spalletto transigat. Nam si forte ejus editio prodeat, quoniam sola Germanum textum exhibet, ab omnibus expetetur, Boschiana neglecta jacebit.

Vale, virorum optime, nec solum tuam, sed etiam filiae meae valetudinem cura. Leidae, m. Julii 1794.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Quaeritur, uter in Codd. describendis praeferendus sit, isne, qui ingenio et doctrinâ fretus, Criticum agit, an mediocriter doctus, sed idem in Codicibus tractandis exercitatus, qui, singulis literarum apicibus anxie rimandis, nihil tantopere curat, quam ut apographum suum sit archetypo simillimum. Equidem talem syllabarum aucupem, si res postulet, mihi obtingere volo. Nec me movet invidiosa Astorgii oratio. Ipse expertus sum Spalletti fidem et industriam: nec est, quod in eo reprehendas, nisi nimiam religionem, si in tali re nimia potest esse religio.

Filia mea vix verba, quibus hospitalitatis tuae comitatem laudet, invenire potest. Ad eam nihil scribo, quoniam mihi deerat epistolae argumentum.

Febriculam, quâ te tentari filia scribit, spero, tibi multum profuturam. Fasciculus a Luchtmannis ad te missus haud dubie haeret vel apud Hengstium, vel apud alium bibliopolam. Vale, mi suavissime Wyttenbachi. Dab. Leidae, d. 21 Aug. 1794.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Dedicationis formula suâ mihi simplicitate placet (1). Locus Diog. Laërt. est. L. I. §. 22, καθὰ καὶ Πλάτων (2) φησί. Quorum cum nihil sit in Platone, scribendum Πλούταρχος. Sic in Suidâ v. Ἦν δ' ἐγώ pro Πλούταρχος legendum esse Πλάτων, docet res ipsa, et Suidas v. Σκίταλοι (3). Sic in Etymologo M. p. 97. lin. 4. probavi Valckenaerio correctionem meam, Πλούταρχος Εὐμένει. Exstat locus in Eumenis Vitâ (4).

Caeterum Plutarchi rara mentio est apud Grammaticos. Ad eum referendus est locus Lexici MS. Parisiensis, fortasse sumtus e Pharnaichi deperditis: Παραλλήλους μὲν βίους λέγεσιν, καὶ ἄνδρας παραλλήλους,

(1) Significatur dedicatio Operum Plutarchi:

ACADEMIAE OXONIENSI

D. D.

DANIEL WYTTENBACHI.

(2) Conf. Wyt. in Praef. ad Plut. p. XXVII. edit. in 4.°

(3) Cf. Wyt. l. l. p. XXXVIII.

(4) Cf. Wyt. l. l. p. XXXVIII.

οὐκέτι δὲ κατὰ ἄλλας πτώσεις, οἷον βίον παραλλήλων, ἢ ἐν τοῖς παραλλήλοις βίοις· ἔτι δὲ ἧττον λέκτεον ἑνικῶς, παράλληλον βίον· οὐδὲν γάρ ἐστι ἄλλον. Μᾶλλον οὖν λέκτεον (ὅτι), ἐν τοῖς βίοις τοῖς παρ' ἀλλήλους τεθεωρημένοις, ἢ τῶν ἀνδρῶν τῶν παρ' ἀλλήλους ἐξητασμένων, Ἑλλάνικος τοῦτο ἱστορεῖ ἐν τοῖς κατ' ἄλληλα, οὐκ ἐν τοῖς κατ' αλλήλοις. Ἐν μέντοι γεωμετρίαις συνήθως ἤδη λέγεται παράλληλος εὐθεῖα, καὶ κύκλοι παραλλήλοι. Ἐπισκέψασθαι δὲ χρὴ, εἰ τὸ ἐκ παραλλήλου εἴρηται ὑπό τινος τῶν δοκίμων. Ἐγὼ μὲν γὰρ οὐκ οἶμαι (1). De Plethone, retuli tibi, quod ex Hemsterhusio audivi. Sed potuit eum memoria fallere. In Praefatione refellas iniquum judicium Heynii in Progr. de Phocione. Odi censores nimium nasutos. — In Phrynichi apparatu, qualis nunc est, Plutarchus ne semel quidem commemoratur. Phrynichum sub M. Antonino et Commodo vixisse, credo Photio, testi idoneo.

Syrianus MS. ὅπουγε μηδὲ Πλούταρχον καὶ Ἀττικὸν καὶ Δημόκριτον, τοὺς Πλατωνικοὺς, κατ' αὐτὸ τοῦτο ζηλοῦμεν (2). Plura si ex eo describi velis, non committam, ut studiis tuis defuisse videar. Doleo, te in eas temporis angustias conclusum esse, ut tibi non liceat Praefationem mecum communicare. Adventu tuo nihil nobis potest esse optatius. Sed profecto insignem mihi injuriam feceris, si publico, non meo, hospitio utare. Uxor et filiae te neptimque salvere jubent. Vale, mi carissime Wyttenbachi. Leidae 2 Nov. 1794.

(1) Cf. Wytt. l. l. p. XXVI.
(2) Cf. Wytt. l. l. p. XXXII.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Syriani locum non licet pleniorem describere. Est enim excerptus e Codice Bibl. Meermanni, Hagae Comitum asservatae, cum cujus domino ob causas, quas divinare facile est, jam nullus mihi usus intercedit. Sed, ut sententiam ex Bagolini versione suppleas, eam ex publicâ Bibliothecâ sumtam, Plutarchi libello adjeci. Tibi cura erit, ut illi libri sarti tectique Leidam remittantur.

De Rualdo nihil mihi constat.—Velim libris ad me remittendis adjungas Theologumena Arithmetica, et Dissertationem de Aristoxeno, cujus auctor, te uno patrono contentus, me et alios contemsit (1).

Omnes mei te etiam atque etiam salutant. Vale, optime Wyttenbachi. Leidae, d. 13 Nov. 1794.

(1) Me Amstelodami uno Wyttenbachio magistro contentum fuisse, id adeo verum est, quam quod est verissimum. Ibi enim nemo alius, praeter Wyttenbachium, erat, qui ea publice doceret, quae ego tunc discere cupiebam. Num vero inde sequitur, *me Ruhnkenium et alios contemsisse?* Plane contrarium constare opinor ex iis, quae in Epistolâ Vitae Wyttenbachii praefixâ ad Kemperum et Lennepium scripsi: *Porro autem, illi tres venerabiles quondam Academiae Rheno-Trajectinae senes*, Saxius, Segaarius *et* Bondamius, *qui mihi in ipsorum Academiâ aliquamdiu degenti, ac quotidie ad ipsorum scholas venienti, certissima suae erga me benevolentiae documenta dederunt, nec parum mihi profuerunt*, etc. Cur autem, finito studiorum meorum curriculo Amstelodamensi, anno 1793, potius ad Professores Rheno-Trajectinos, quam Lugduno-Batavos me contulerim, si quis forte scire velit, illi satis sit

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Plurimum te amo de communicatâ mecum alterâ praefationis parte, quae jucundissimâ rerum varietate animum explevit. Saepe exclamavi, *Euge, Pulchre, nihil supra:* inprimis in H. Stephani defensione et Censurâ Reiskianâ. Caeterum quaesivi, quod reprehenderem : sed vix inveni. Adeo sunt omnia Latine et castigate scripta. In quo elegantiae studio, si a posteritate legi velis, semper manebis. Viget Muretus : jacet Salmasius, quamvis Mureto doctior. Pag. 54. pro σαφὲς καὶ λεῖον lege σαφὲς καὶ λιτὸν. Contra in Aristide Quinctil. De musicâ II. p. 78 lege λείους pro λιτούς Vide ibid. p. 88 (1). Quae Diogenes Laërtius narrat, sumere potuit ex Plutarchi libro, quem Lamprias memorat, περὶ τῶν πρώτων φιλοσοφησάντων, καὶ τῶν ἀπ' αὐτῶν (2). Vale, mi Wyttenbachi. Uxor et filiae te neptimque salutant. Leidae d. 24 Dec. 1794.

P. S. Nieuwlandum unum ex omnibus collegis

respondisse, parentes meos Ultrajecti habitantes id ita fieri voluisse, meque ipsorum voluntati, ut par erat, obsecutum esse. Quomodo igitur istiusmodi suspicio mentem Ruhnkenii occupare potuerit, non capio, praesertim quum optimo seni, misso Diatribes exemplari, debitum honorem habuerim.

(1) Cf. Wyt. l. l. pag. XXXI.

(2) Wyt. l. l. p. XXVII.

meis delegeram, in cujus suavitate et amore, post creptum nobis Schultensium, conquiescerem. Quo gravius est vulnus, quod mihi mors ejus imposuit. Recte hanc jacturam irreparabilem vocas.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Speraveram, futurum, ut desiderium tecum colloquendi, quo in dies vehementius maceror, feriis Paschalibus lenirem. Verum non licet per milites Gallos; qui aedium mearum partem occuparunt. Ita rursus congressus noster in ferias Pentecostales rejiciendus est : nisi forte Leidae praeferas locum mihi multis de caussis invisum, qui nunc, ut scribis, bonam partem in ruinis jacet. Leidenses cum calidis suis consiliis valere jubeo, quos Santenius noster, quâ est apud eos auctoritate, ad saniorem mentem revocabit. Ego gratiâ floreo apud Lestevenonum, Paulum et alios libertatis vindices, qui, ut ostenderent, quanti praeceptorem senem facerent, me Senatûs scribam, etsi scribere vix possum, crearunt.

Studiosos nostros jam poenitet obsequium, quod Professoribus debebatur, rupisse.

Praefationi ad Schellerum eamdem, vel potius meliorem operam navabis, quam ego tuis scriptis

navare soleo. Notas in Eclog. Histor. cupidissime exspecto. Eas cum miseris, addas, velim, Theologumena Arithmetica, et duo libros e Bibliothecâ sumtos, Plutarchum Camerarii, et Syriani versionem Latinam, qui per leges non possunt diutius a Bibliothecâ abesse.

Vale, amicorum carissime. Uxor et filiae te neptimque tuam salutant. Leidae, d. 15 Martii 1795.

WYTTENBACHIO SUO

DAV. RUHNKENIUS

SALUTEM.

O! gratum nuncium de adventu tuo. Egressum te naviculo laeti alacresque curru excipiemus. Sed quaeso obtestorque te, ut duo libellos e Bibliothecâ sumtos tecum reportes. Moris est, quovis quadriennio elapso, solemnem Bibliothecae recensionem fieri coram Curatoribus et Professoribus. Tum nullus liber, nulla scida deësse debet. Flagitium foret dicere, liber non hîc est, sed Amstelodami. Jam cum recensioni a curatoribus dictus sit vigesimus tertius hujus mensis, eo vehementius te rogo, ut me liberes hac sollicitudine. In elegantissimis tuis Annotationibus (1) vix quidquam notare potui, quoniam tu ipse me tempore excludis. Vale suavissime Wyttenbachi. Leidae d. 10 Maji 1795.

(1) Loquitur R. de Annotationibus *ad Sel. Princip. Historicorum.*

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

PRO Eclogis Historicis maximas tibi gratias ago. Praefatio suaviter et venuste scripta non solum me, sed etiam Voordam, Valckenaerium, alios mire delectavit. In Hesiodi Scholiis sequenda est editio Trincavelliana, quam, si ipse eâ careas, vel a Boschio, vel a me, sumes. Heinsiana turpiter interpolata est. Alcaei versus qui laudarint, indicavit F. Ursinus ad Frag. Lyr. p. 310. Pro τὸ γὰρ ἄστρον Pontanus ad Macrob. Sat. VII. 16 legit, τὸ γὰρ ἄκρον, vitiosâ Gellii editione deceptus. — Apud Stobaeum p. 40, verba οἰκουρῶν γραμματεὺς, sunt Plutarchi. Vox, propter quam Plato laudatur, latet in corrupto Μίνῳ. Sed nihil extrico (1). — Miror, nullum dum Plutarchi exemplar huc allatum esse, cum id facillime fieri possit per nautas Danos, qui merces, quarum Hollandia indiget, quotidie Londino invehunt in portum Roterodamensem. — Heynius ad me misit Catalogum Bibliothecae Kulenkampianae cum praefatione suâ. Multi ibi sunt libri rarissimi, a te dudum expetiti, tamquam Arsenii Violetum, F. Ursini Fragm. Poëtriar., Hesiodus Trincavelli, etc. — Quod scribis de competitoribus muneris scholastici, tres per me tibi commendari voluerunt,

(1) Conf. Wytt. Mor. T. V. p. 547.

Wenckenbach, Huschke, Tenbrink. Ego tecum Hanae faveo, de quo quid sentiam, brevi testimonio dixi (1). Caeteri ambiant munus Rectoris, quod Goudae vacat, et stationem Amersfortensem Hanae.

Wolfius Halensis queritur de diuturno tuo silentio. Is mihi nuper inscripsit splendidam, ut apud Germanos, Homeri editionem. — Uxor et filiae te plurimum salutant, optantes, ut neptis tua brevi pristinam sanitatem recuperet. Vale, mi carissime Wyttenbachi. Leidae d. 22 Dec. 1795.

Innumerabilia sunt, de quibus tecum colloqui vellem. Sed exspectandum vernum tempus. Testimonium meum tu praelegas Curatoribus, quos non credo manum meam assecuturos.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Praesens periculum, in quo neptim tuam versari nuntiabas, nos vehementer commovit. Nunc ex silentio tuo nobis videmur recte colligere, omnia vertisse in melius.

Utinam te istinc excitare possem, ut ferias Paschales nobiscum ageres. Scio quidem, Pentecostales tibi commodiores esse. Sed nimis multa sunt, quae suavissimam sermonis tui communicationem desiderent.

(1) Vid. Bergm. ad Wytt. V. Ruhnk. p. 470.

Heri cum quatuor collegis, Senatûs nomine, salutavimus conventum universae gentis Batavae. Inde Leida sibi suavissima quaeque auguratur, imprimis Academiarum, quae ei tantopere nocent, abolitionem.

Valckenaerii orationem ad te missam esse, scio. Quodsi perierit, aliud exemplum a me habebis.

Neptis, quam omnes multum salutamus, quomodo se habeat, scribes, vel potius ipse nuntius venies. Vale, vir animo meo carissime. Leidae d. 15 Martii 1796.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Juvenis eruditus, Van Geers, hucusque scholae Delphensis praeceptor, ubi operam suam vehementer probavit Syndico, Scholtenio nostro, a me petiit, ut tibi accurate commendaretur. Ego vero, si uni ex tuis vacantem locum destinaris, tuum consilium meâ commendatione impedire nolim. Id tamen plane tibi confirmare possum, neminem et doctrinâ et usu aptiorem esse ad juventutem erudiendam. Vale. Leidae, d. 5 Febr. 1796.

WYTTENBACHIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

PERGRATUM mihi feceris, si tecum tuleris Praefationem Plutarchi Fragm. praemittendam, item rarissimum libellum, Theologum. Arithmet. — Quaeres fortasse, quomodo valeam : Animi hilaritas eadem est, quae anno superiore : sed tussis catarrhalis, senibus infesta, pectus et abdomen ita quassat, ut corporis vires minui necesse sit. Medici tamen nos sperare jubent, futurum, ut verni teporis clementia huic malo medeatur. Vale, amicorum optime. Nos omnes te vehementer exspectamus. Leidae d. 23 Mart. 1798 (1).

(1) Vid. Wytt. V. Ruhnk. p. 274.

Index Scriptorum,
quorum loca quaedam in his epistolis citantur, illustrantur, emendantur.

Numerus paginam indicat.

Alcaeus. . . . . 83.
Alciphron. . . . . 12.
Allatiana Excerpta. . . . . 73.
Anthemius. . . . . 32.
Aratus . . . . . 12.
Aristaenetus. . . . . 10. 11.
Aristides Quinctil. . . . . 80.

Dio Cassius. . . . . 10.
— Chrysost. . . . . 7. 10.
Diogenes Laërtius. . . . . 77. 80.

Etymolog. Magn. . . . . 77.
Eunapius. . . . . 8. 9.
Euripides. . . . . 10.

Flavius Iosephus. . . . . 11.

Gregorius de Dial. . . . . 10.

Iulianus. . . . . 4. 5. 6. 7.

Libanius. . . . . 10.
Longinus. . . . . 5.
Lucianus. . . . . 9. 11. 18.

Minucius Felix. . . . . 11.

Philostratus. . . . . 7. 12. 18.
Phrynichus. . . . . 54. 77.
Plato. . . . . 11. 58. 63.
Plutarchus. . . . . 73. 74. 77. 80.
Pollux (Iul.) . . . . . 6.

Stobaeus. . . . . 2. 83.
Suidas. . . . . 77.
Synesius. . . . . 7.
Syrianus MS. . . . . 78.

Vellejus Paterculus. . . . . 30.

ERRATA.

Pag.	1.	lin.	2.	honorum	lege *honorem*
—	2.	—	26.	αἴτιον ὃ φ.,	— αἴτιον, ὃ φ.,
—	5.	—	10.	ἴστω	— *ἴστω sciat.*
—	«	—	11.	παιδία	— παιδιὰ
—	28.	—	10.	Schaderianam	— *Schraderianam*
—	33.	—	15.	excuderet	— *excuteret*
—	49.	—	25.	desumsum	— *desumtum*
—	53.	—	17.	Apuleji	— *Appuleji*
—	69.	—	19.	pecunias	— *pecuniâ*
—	75.	—	16.	Elmlejus	— *Elmslejus*
—	77.	—	24.	Wyttenbachi	— *Wyttenbach*


THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY
REFERENCE DEPARTMENT

This book is under no circumstances to be taken from the Building

form 419

MAR 2 1 1927